ſive Eccleſiaſtico aliquos contractus metu injuſte & injurioſe extortos, irritos declarari: & quidem merito, oſtenditur. Nam hoc ideo factum eſt, ut in Republica plena libertas ſervetur, & injuria propulſetur; ut lites, & alia incommoda, quæ ſequerentur, evitentur. Et etiam quia in his ſæpiſſime contingit deeſſe conſenſum verum, quamvis verbis exprimatur. Et tandem in pœnam illius, qui injuſte metum incutit: meretur enim, ut effectu careat, quod injuſte extortum eſt.

XXI. Contractus vero metu gravi injuſte extorti, qui in Jure poſitivo irritantur, ſequentes recenſentur. Primo. Matrimonium contractum ex metu, ut habetur Cap. *Veniens de ſponſalibus*. Secundo. Promiſſio dotis, vel ſolutio facta ex metu. Si enim matrimonium, quod eſt principale, ex metu factum non tenet, neque dotis promiſſio, quæ eſt quid acceſſorium, valebit. Ita *l. 4. Digeſt. cit. 2. lege ſi mulier*. Tertio. Juriſdictio data, vel propagata ex metu eſt nulla, *l. 2. ff. de Judiciis*. Idem eſt de electione Prælati facta ex metu, C. *Ubi periculum de elect.* §. *Cæterum in 6.* Quarto. Abſolutio ab excommunic. ex metu facta, C. unico *De his, quæ vi metuſve cauſa in 6.* Quinto. Vota, & præſertim ſolemnia, metu facta. Dixi & præſertim ſolemnia: quia vota ſimplicia, etſi metu facta, ſi per ea interius quis intendit ſe obligare, Jure naturæ obligant; cumque in Jure nihil in contrarium ſcriptum ſit, ſtandum erit juri naturæ. Votum autem ſolemne, quia non ſolum habet id, quod eſt interioris conſenſus, ſed etiam quod eſt exterioris mancipationis, & traditionis, ſeu ſolemnitatis; quia fit per modum contractus cum Eccleſia, & ſpiritualis Matrimonii, aut ſervitutis. Unde voluit Jus, ut pari modo libere fieret, & ſine metu, ſicut Matrimonium, quod non ſolum conſummatur interiori conſenſu, ſed exteriori traditione; ut ſumitur ex C. *Paulla* 20. *q.* 1. & C. *Cum virum de Regularibus*. Et tandem declaratum eſt per Conc. Trident. *Seſſ. 25. de Regularibus c.* 19. quod ille, qui prætendit, ſe per vim, & metum ingreſſum eſſe Religionem, non audiatur, niſi intra quinquennium a die profeſſionis reclamaverit.

XXII. Quoad juramentum autem per Jura extortum, aut metum, ſervandum eſſe docet D. Th. 2. 2. *q. 89. art. 3. ad 3. In juramento* (inquit) *quod quis coactus facit, duplex eſt obligatio. Una quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittit, & talis obligatio tollitur per coactionem; quia ille qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promiſſum non ſervetur. Alia autem eſt obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen ejus promiſit: & talis obligatio non tollitur in foro conſcientiæ; quia magis debet damnum temporale ſubire, quam juramentum violare. Poteſt tamen repetere in judicio, quod ſolvit &c.* Et *q. 98. art. 3. ad 1.* ait: *Coactio non aufert a juramento promiſſorio vim obligandi reſpectu ejus, quod licite fieri poteſt: & ideo ſi aliquis non impleat, quod eo actu juravit, nihilominus perjurium incurrit, & moraliter peccat. Poteſt tamen per auctoritatem Summi Pontificis ab obligatione juramenti abſolvi; præſertim ſi coactus fuerit tali metu, qui cadere poſſet in conſtantem virum.* Hæc Divus Thomas.

XXIII. Quæ ſuperius dicta ſunt de metu gravi injuſte incuſſo, dicenda ſunt de metu reverentiali, cui conjunctæ eſſent graves minæ, vel timor malæ tractationis, aut diuturnæ offenſionis.

Ea vero, quæ fiunt ex metu levi, tam poſitivo, quam naturali Jure ſunt valida, neque contra ea datur actio. Si tamen metus ille fuerit per injuriam ad aliquid extorquendum incuſſus, poſſunt in foro conſcientiæ reſcindi ad eo, qui injuriam eſt paſſus, debetque ei reſtitui quidquid tali via eſt obtentum. Tum quia, quæ per injuriam extorquentur, obnoxia ſunt reſtitutioni. Tum quia, qui injuriam eſt paſſus, injuſte fuit ſua libertate privatus, ideoque debet reſtitui in gradum priſtinum. Excipe tamen votum, & matrimonium: hæc enim etſi per metum levem fiant, valida ſunt, nec poſſunt propria voluntate reſcindi.

D u b i u m IV.

An quæ fiunt ex Concupiſcentia, ſint Involuntaria?

§. I.

Quædam præmittuntur.

I. NOmine concupiſcentiæ ſumitur hic omnis paſſio appetitus, quæ eſt circa bonum, excludendo eas ſolum, quæ ſunt circa malum, ut timorem, & triſtitiam. Hæc autem concupiſcentia, ſeu paſſio ſenſitivi appetitus, duplex eſt. Una antecedens, alia conſequens. Concupiſcentia antecedens eſt, quæ præcedit actum voluntatis, & eſt cauſa ejus: ut cum viſo pulchro objecto accenditur appetitus; ex quo voluntas movetur ad deſiderium, vel delectationem circa illud. Conſequens vero eſt, & quæ conſequitur actum voluntatis, & ab illo cauſatur: interdum enim tanto ardore prorumpit in actum, ut excitet paſſionem in corpore. Loquitur ergo hic ſolum de concupiſcentia antecedenti, quæ ſola poteſt eſſe cauſa voluntarii, vel involuntarii. Nam conſequens cum ſupponat actum voluntatis, non cauſat, ſed ſupponit voluntarium, vel involuntarium. Niſi forte quis excitaret in corpore concupiſcentiam, ut ardentius poſtea voluntas operaretur: ſed tunc concupiſcentia id non faceret quatenus conſequens, ſed quatenus antecedens. Ut enim conſequens eſt, ait D. Thom. 1. 2. q. 77. art. 6. *Non diminuit peccatum, ſed magis auget, vel potius eſt ſignum magnitudinis ejus; in quantum ſcilicet demonſtrat intentionem voluntatis ad actum peccati.* De concupiſcentia ergo antecedente

§. II.

Reſolutio Dubii.

II. DIco primo. Concupiſcentia antecedens non cauſat involuntarium. Prob. Concupiſcentia antecedens inclinat voluntatem ad volendum id, quod concupiſcit; ſicut concupiſcentia iræ inclinat voluntatem ad volendum vindictam; concupiſcentia libidinis ad volendum aliquid libidinoſum: cum ergo involuntarium illud ſit, quod eſt contra inclinationem voluntatis, concupiſcentia non cauſat involuntarium.

III. Dico ſecundo. Concupiſcentia antecedens potius facit voluntarium, quam involuntarium. Ita S. Th. hac *q. 6. art. 7.* his verbis: *Dicendum, quod concupiſcentia non cauſat involuntarium*: & concludit: *Et ideo concupiſcentia magis facit ad hoc, quod aliquid ſit voluntarium, quam quod ſit involuntarium.* Et probat ſic. Aliquid dicitur voluntarium ex eo, quod voluntas in illud fertur: ſed per concupiſcentiam voluntas inchoatur ad volendum id, quod concupiſcentia &c.

IV. Dico tertio. Concupiſcentia antecedens facit etiam aliquid eſſe magis voluntarium, quam eſſet ſine illa. Prob. primo. Concupiſcentia conſequens eſt ſignum voluntarii magis intenſi, ut dicebamus ex D. Thom. 1. 2. *quæſt. 77. art. 6.* Sed concupiſcentia antecedens non aliter eſt cauſa voluntarii, quam concupiſcentia conſequens ſignificet; nam propter naturalem ſympathiam inter voluntatem, & appetitum ſenſitivum, voluntas inflammat concupiſcentiam, & concupiſcentia voluntatem: ergo &c. Unde D. Th. *q. 77.* citata concludit: *Et ſic verum eſt, quod quanto aliquis majori libidine, vel concupiſcentia peccat, tanto magis peccat.*

V. Secundo prob. Voluntarium eſt, quod procedit ex inclinatione voluntatis; ergo illud videtur eſſe magis voluntarium, quod procedit ex majori inclinatione voluntatis: ſed concupiſcentia antecedens facit, ut voluntas magis inclinetur in rem deſideratam, quodque majore impetu feratur in illam, quam alioquin ferretur; ergo potius auget voluntarium.

VI. Noto tamen: quod cum hic dico, concupiſcentiam augere voluntarium, loquor de voluntario ſecundum rationem voluntarii; prout ſcilicet dicit inclinationem a principio intrinſeco cum cognitione finis, ut abſtrahit a neceſſario, & libero. Quod ſi ſermo ſit de voluntario libero, libenter concedam, concupiſcentiam antecedentem aliquando minuere voluntarium; quia minuit, immo aliquando prorſus obnubilat judicium rationis, & indifferentiam, quæ ad perfectam rationem voluntarii liberi requiruntur. Unde D. Thomas citata *quæſt. 77. art. 6. 2. 2. q. 150. art. 4. ad 3.* & *quæſt. 154. art. 3. ad 1.* & *q. 3. de Malo art.* 11. docet, concupiſcentiam, quæ judicium rationis, motumque voluntatis antecedit, minuere peccatum. Quamvis vero ideo probat minuere peccatum, *quia minuit voluntarium*; hoc interpretandum eſt de voluntario, non ſecundum rationem voluntarii præciſe, ſed ſecundum rationem liberi, ex qua attenditur peccati major, vel minor gravitas.

VII. Quod ſic oſtendo. Nam *quæſt. 77. ex 1. 2. art. 6.* citato præmittit, quod *peccatum eſſentialiter conſiſtit in actu liberi arbitrii*; & quod *appetitus ſenſitivus poteſt ſe habere ad liberum arbitrium, & antecedenter, & conſequenter.* Et *quæſt. 3. de Malo art.* 11. citato docet, paſſionem diminuere rationem meriti, vel demeriti: *Quia meritum, & demeritum in electione conſiſtit ex ratione præcedente. Paſſio autem obnubilat, vel etiam ligat judicium rationis. Quanto autem judicium rationis fuerit purius, tanto electio eſt perſpicacior ad merendum, vel demerendum. Unde qui inducitur ad benefaciendum ex judicio rationis, laudabilius operatur, quam qui inducitur ad hoc idem ex ſola animi paſſione; hic enim interdum errare poteſt indebite miſerendo.* Qua propter dum ait D. Th. concupiſcentiam minuere peccatum, qua minuit voluntarium, loquitur de voluntario ſub ea ratione, qua liberum eſt: ex libertatis enim minutione minuitur meritum, vel demeritum. Sicut enim ſi aliquod opus fieret voluntarie, ſed non libere, neque illud opus eſſet bonum, nec malum morale; ita diminuta ratione liberi in voluntario, diminuitur bonitas, vel malitia moralis. Quia vero minus libere peccant, qui ex concupiſcentia, quam qui nulla paſſione ſtimulante peccant; idcirco dicit D. Th. minui peccatum illorum, qui per concupiſcentiam peccant.

§. III.

Objectionum Solutio.

VIII. OBjicies primo contra primam aſſertionem. Sicut metus eſt quædam paſſio, ita & concupiſcentia: ſed metus cauſat quodammodo involuntarium; ergo &c.

Confirmatur. Sicut timidus agit per metum, id, quod non ageret, ſi non eſſet metus; ita qui a concupiſcentia vincitur, id agit, quod alioquin non vellet agere; ergo in utroque eſt involuntarium.

IX. Reſpondetur, diſparitatem eſſe, inquit D. Th. hoc art. 7. ad 1. *Quod timor eſt de malo, concupiſcentia autem reſpicit bonum. Malum autem ſecundum ſe contrariatur voluntati, ſed bonum eſt voluntati conſonum. Unde magis ſe habet timor ad cauſandum involuntarium, quam concupiſcentia.*

X. Ad confirmat. reſpondeo eodem modo cum S. Doctore ibi ad 2. *Quod in eo, qui per metum aliquid agit, manet repugnantia voluntatis ad id, quod agitur, ſecundum quod in ſe conſideratur; ſed in eo, qui agit aliquid per concupiſcentiam (ſicut eſt incontinens) non manet prior voluntas, qua repudiabat illud, quod concupiſcitur, ſed mutatur ad volendum id, quod prius repudiabat. Et ideo quod per metum agitur, quodammodo eſt involuntarium: ſed quod per concupiſcentiam agitur, nullo modo. Nam incontinens concupiſcentiæ agit contra id, quod prius proponebat, non autem contra id, quod nunc vult: ſed timidus agit contra id, quod etiam nunc ſecundum ſe vult.*

XI. Objicies ſecundo contra eamdem. Ad voluntarium requiritur cognitio: ſed concupiſcentia corrumpit cognitionem; dicit enim Philoſ. in *6. Ethic cap.* 5. quod delectatio, ſive concupiſcentia delectationis corrumpit æſtimationem prudentiæ; ergo concupiſcentia cauſat involuntarium.

XII. Reſpondeo ex jam dictis §. præcedente, ex hac corruptione rationis, ſeu æſtimationis ſequi ſolum, quod concupiſcentia minuat liberum, quia minuit indifferentiam judicii, quæ requiritur ad libertatem; non tamen minuat voluntarium. —— Addo, quod concupiſcentia tollit quidem interdum actualem cognitionem; ſed hoc ipſum eſt voluntarium, quia eſt in poteſtate voluntatis hoc impedire. Audiatur D. Th. hic ad 3. *Quandoque in his, quæ per concupiſcentiam aguntur, non totaliter tollitur cognitio; quia non tollitur poteſtas cognoſcendi, ſed ſolum conſideratio actualis in particulari agibili. Et tamen hoc ipſum eſt voluntarium, ſecundum quod voluntarium dicitur, quod eſt in poteſtate voluntatis, ut non agere, & non velle; ſimiliter autem, & non conſiderare. Poteſt enim voluntas paſſioni reſiſtere, ut infra dicetur* (q. 77. art. 6. & 7.)

XIII. Sed contra primam reſponſionem inſtabis. Libertas eſt ſpecies voluntarii; ergo non poteſt minui libertas, quin minuatur voluntarium: non enim poteſt minui ſpecies, quim minuatur genus.

XIV. Contra ſecundam reſponſionem inſtabis. Motus concupiſcentiæ quandoque non ſunt in poteſtate voluntatis, veluti quando homo, velit nolit, eos patitur; ergo tunc ſunt involuntarii, dicente Apoſtolo Rom. 7. v. 19. *Non enim quod volo bonum, hoc facio; ſed quod nolo malum, hoc ago.*

XV. Ad inſtantiam contra primam reſponſ. neg. ant. Diviſio enim voluntarii in liberum; & non liberum non eſt eſſentialis tamquam generis in ſpecies, ſed accidentalis, quaſi ſubjecti in accidentia. Libertas enim, & neceſſitas ſunt modi accidentales actus voluntarii, non differentiæ eſſentiales ejus. Eodem enim habitu ſpei animæ Juſtorum ſperant neceſſario beatitudinem in Purgatorio poſitæ, quo hic in Mundo libere ſperarunt. Et eodem charitatis habitu tam in Purgatorio, quam in Cælo diligunt Deum neceſſario, quo hic libere diligebant —— Addo, poſſe etiam admiſſo antecedente negari conſequentiam. Quia univerſaliter non eſt verum, non poſſe minui ſpeciem quavis minutione, etiam accidentali, quin minuatur genus: immo contingit, quod minuatur ſpecies, & augeatur genus; ſicut dum intenſione rubedinis minuitur in facie pallor, & augetur color.

XVI. Ad inſtantiam contra ſecundam reſponſ. diſt. conſeq. Involuntarii per ſe, & ut a concupiſcentia procedunt, neg. conſeq. per accidens, & ex alia cauſa, conc. conſeq. Involuntarium ergo, quod in eo caſu experimur, non cauſatur a concupiſcentia, cum ipſa potius voluntatem alliciat ad volendum concupiſcibile: ſed vel a timore Inferni, vel alio judicio rectæ rationis dictante quantum malum ſit conſentire concupiſcentiæ. Non negamus ergo, voluntario, quod concupiſcentia cauſat, conjungi aliquid involuntarii; unde Apoſtolus volebat, & nolebat: ſed hoc involuntarium reſpectu concupiſcentiæ non ſe habet per ſe, ſed per accidens, ab alia cauſa concupiſcentiæ reſiſtente. Et hoc ad differentiam metus; hic enim per ſe cauſat involuntarium; concupiſcentiæ autem involuntarium miſcetur ſolum per accidens, quia ab illa non procedit, ſed aliunde provenit.

D u b i u m VII.

An quæ ex Ignorantia fiunt, ſint Involuntaria?

§. I.

Exponuntur ſcitu neceſſaria.

I. NOto primo ex D. Th. hac *q. 6. art.* 8. Ignorantiam pro nunc dividi poſſe in concomitantem, conſequentem & antecedentem. Concomitans eſt, *quando ignorantia quidem eſt de eo, quod agitur; tamen etiamſi ſciretur, nihilominus ageretur. Tunc enim ignorantia non inducit ad volendum, ut hoc fiat; ſed accidit ſimul eſſe aliquid factum & ignoratum: ſicut... cum aliquis vellet quidem occidere hoſtem, ſed ignorans occidit eum, putans occidere cervum.* Ignorantia conſequens dicitur, quia *conſequenter ſe habet ad voluntatem: in quantum ipſa ignorantia eſt voluntaria. Et hoc contingit dupliciter... Uno modo, quia actus voluntatis fertur in ignorantiam; ſicut cum aliquis ignorare vult, vel ut excuſationem peccati habeat, vel ut non retrahatur a peccando, ſecundum illud Job.* 31. ſcientiam viarum tuarum nolumus. *Et hæc dicitur ignorantia affectata. Alio modo dicitur ignorantia voluntaria ejus, quod quis poteſt ſcire, & debet. Sic enim non agere, & non velle voluntarium dicitur... Hoc igitur modo dicitur ignorantia, ſive cum aliquis actu non conſiderat, quod conſiderare poteſt, & debet, quæ eſt ignorantia malæ electionis, vel ex paſſione, vel ex habitu proveniens: ſicut cum aliquis notitiam, quam debet habere, non curat acquirere... Antecedenter autem ſe habet ignorantia ad voluntatem, quando non eſt voluntaria, & tamen eſt cauſa volendi, quod alias non vellet: Sicut cum aliquis homo ignorat aliquam circumſtantiam actus, quam non tenebatur ſcire, & ex hoc aliquid agit, quod non faceret, ſi ſciret. Puta cum aliquis diligentia adhibita neſciens, aliquem tranſire per viam, projicit ſagittam, qua interficit tranſeuntem.* Hæc D. Thom.

II. Ignorantia antecedens aliis terminis appellari ſolet ignorantia invincibilis, & ignorantia conſequens ignorantia vincibilis. Dicitur vincibilis ignorantia, quæ vinci, ac ſuperari poteſt, ſi homo vellet debitam habere diligentiam ad ſui inſtructionem. Dicitur vero invincibilis, quando vinci, ac ſuperari nequit, quamcumque diligentiam homo adhibere poſſit. Sit exemplum: qui inter Catholicos verſatur, præſertim ſi ſit in urbe aliqua, ubi traditur doctrina de Myſteriis Chriſtianæ Religionis, & hujuſmodi Myſteria ignoret, ejus ignorantia vincibilis eſt, & alio nomine privativa: quia poſſet eam facile ſuperare, ac vincere, ſi vellet inſtrui; unde tali notitia ſe privat. Sed quando aliquis eſt in Sylvis apud barbaros enutritus, ubi nullum invenire poteſt, qui eum de præfatis Myſteriis inſtruat; talis ignorantia eſt invincibilis, & negativa, ſeu carentia cognitionis ei non debitæ.

III. Alia eſt diviſio ignorantiæ ex parte objecti, quod ignoratur, in ignorantiam Juris, & ignorantiam facti. Ignorantia Juris eſt, quando lex, ſeu Jus ignoratur. Ignorantia facti eſt, cum ipſum opus, aut aliqua operis circumſtantia ignoratur. Unde ſi quis verſetur cum excommunicato neſciens vetitam eſſe communicationem cum excommunicato, laborat ignorantia Juris: ſi neſciens eum eſſe excommunicatum, laborat ignorantia facti.

Porro Jus aliquid eſt naturale, ſive quod a nobis cognoſcitur inſtinctu luminis naturalis. Aliud eſt poſitivum, ſive quod ponitur, & quaſi ſuperponitur Juri naturali, ſive a Deo, ſive ab hominibus; unde etiam ſubdividitur in Jus Divinum, & Jus humanum. Quod explico: honorare parentes eſt de jure naturali, quia hoc natura dictat; ſed credere Deum Trinum, eſt de Jure poſitivo divino, & ſupernaturali; quia uſque ad notitiam Myſterii Trinitatis naturæ lumem pertingere nequit. Ea autem, quæ habentur in Jure canonico, ſive civili, ſive Decreta Summorum Pontificum ſunt de Jure humano; niſi alias ratione materiæ non ſpectarent ad Jus naturale, vel divinum. Hinc ergo ignorantia Juris alia eſt ignorantia Juris naturalis, alia poſitivi: inſuper alia eſt Juris poſitivi divini, alia humani: & hæc, alia eſt Juris canonici, alia civilis.

Tandem ignorantia facti alia eſt facti proprii; ut cum quis ignorat, an recitaverit horas Canonicas. Alia facti alieni; ut cum quis neſcit, an alius fecerit teſtamentum. His ergo pro eruditione incipientium prænotatis, ad reſolutiones progrediamur.

§. II.

De ignorantia Concomitante.

IV. DIco primo. Ignorantia concomitans modo explicato non cauſat voluntarium, nec involuntarium, ſed non voluntarium: ſeu ea, quæ fiunt cum ignorantia concomitante, nec voluntarie fiunt, nec involuntarie, ſed non voluntarie. Ita Sanctus Thomas hoc *art.* 8. dicens: *Tunc enim ignorantia non inducit ad volendum, ut hoc fiat, ſed accidat ſimul eſſe aliquid factum, & ignoratum, ſimul in exemplo ſupra poſito... & talis ignorantia non facit involuntarium, quia non cauſat aliquid, quod ſit repugnans voluntati; ſed facit non voluntarium, quia non poteſt eſſe actu volitum, quod ignoratum eſt.*

V. Ex quibus ſic probatur aſſertio. Ponamus, quod aliquis Venator, qui facta debita diligentia jaciat ſagittam putans ſe occidere cervum, occidat inimicum ſuum, quem tamen paratus erat occidere; talis inimici interfectio eſt cum ignorantia concomitante: ſed hæc non eſt præfato Venatori actu voluntaria; quia cum ad voluntarium requiratur cognitio, non poteſt eſſe actu volitum, quod actu prorſus eſt ignoratum: neque illi eſt involuntaria poſitive, & contrarie. Tum quia non repugnat inclinationi voluntatis, quæ ita affecta ſupponitur, ut ſi ſciret, eum eſſe inimicum, libenter eum occideret. Tum quia demum dum Venator ille invenit, ſe loco cervi occidiſſe inimicum, non dolet, ſed potius gaudet. Relinquitur ergo, quod illi ſit non voluntaria, ideſt nullo modo actu volita illa occiſio; ſed quod ignorantia illa relinquat occiſionem talem, qualis erat futura: quia nec inducit ad volendum, nec ad nolendum, ſed per accidens ſe habet, ſive ad actum voluntatis, ſive ad opus, quod agitur. Accidit enim, talem voluntatem inveniri ſimul cum tali voluntate, vel facto; cum interim neque illius ſit cauſa, neque effectus, ſed impertinenter ſe habeat ad ipſum.

VI. Sed dices primo. Facta ex ignorantia conſequente ſunt ſimpliciter voluntaria, ut dicemus: & tamen cum ignorantia, ſeu ignoranter procedunt; ergo poteſt aliquid eſſe actu voluntarium, & actu ignoratum.

VII. Dices ſecundo. Quod eſto Venator ille habeat intentionem tunc occidendi cervum, cum ea tamen conjungitur intentio ſaltem habitualis occidendi inimicum; ergo ex hac occiſio inimici ſub ſpecie feræ poteſt dici voluntaria.

VIII. Sed contra primam ſic inſto. Eſto quæ fiunt ex ignorantia conſequente non ſint directe, & in ſe cognita, virtualiter tamen, & indirecte ſunt cognita; unde & volita in cauſa, nempe in omiſſione faciendi quod poteſt, & debet, ut tollat ignorantiam: ſed quæ fiunt ex ignorantia concomitante, ſupponunt factam debitam diligentiam; ergo ſunt ignorata nedum formaliter, ſed etiam virtualiter, & conſequenter nullo modo ſunt volita, aut voluntaria.

IX. Contra ſecundam ſic. Voluntas ſeu inclinatio habitualis non ſufficit ad cauſandum voluntarium in actu: ſed ſolum in potentia tale; ergo voluntate habituali occidendi inimicum non poteſt illa occiſio denominari actu voluntaria: alias omnes aliæ actiones, quæ a præfato homine exercerentur fierent illi voluntariæ, & inquinarentur malitia illius voluntatis:

tatis : cum non magis ſervet inclinationem habitualem occidendi inimicum in illa actione, quam in cæteris. Sicut habitualis inclinatio ad Idolum non facit, ut infidelis in omni ſua actione velit adorare Idolum, & peccet ; neque habitualis converſio ad creaturam facit, quod peccator in omni actione peccet : ita nec habitualis voluntas occidendi inimicum faciet, quod in omni actione velit adhuc virtualiter ipſum occidere.

Immo licet cum intentione occidendi feram eſſet ſimul volitio actualis occidendi inimicum ; non ideo occiſionem illam actu volitam denominaret : quia non imperaret illam, ſed omnino per accidens ſe haberet. Et idem dico, ſi quis cum ignorantia invincibili latentis inimici mitteret ſagittam eo animo, ut ſe exerceret ad occidendum poſtea inimicum ; vel optando, illum adeſſe ibi, vel feram, quaſi ejus ſtatuam, cogitando ; vel hunc actum eliciendo : ſi ſcirem, ibi latere inimicum, illum occiderem. Et ratio eſt : quia animus illius non eſt occidere ibi, & tunc inimicum, quem abeſſe putat, ſed duntaxat feram, quaſi ejus ſtatuam : vel exerceri, ad illum pro alio tempore transfigendum.

X. Nec dicas. Volitio conditionata ſufficit ad denominandum voluntarium ſaltem ſecundum quid ; ergo ab iſto actu conditionato : ſi ſcirem, ibi latere inimicum, illum occiderem ; illa occiſio inimici ſub ſpecie feræ poteſt dici voluntaria ſecundum quid.

Nam neg. conſ. Quia tunc ſolum voluntas conditionata ſufficit ad voluntarium ſecundum quid, quando aliqualiter influit, & ſupponit cognitionem, ſecus autem, quando adeſt ignorantia : repugnat enim, aliquem voluntarie tendere adhuc ſub conditione in id, quod actualiter ignorat. Quare cum Venator, dum elicit talem actum conditionatum ignoret, ibi latere inimicum ; occiſio illius ſub ſpecie feræ a volitione illa conditionata nequit dici voluntaria adhuc ſecundum quid.

XI. Sed replicabis. In tantum ignorantia tollit voluntarium, in quantum removet ſcientiam, quæ ſi adeſſet, impediret effectum : ſed ignorantia concomitans non removet ſcientiam, quæ impediret, immo potius ſi adeſſet talis ſcientia, libentius produceretur effectus : nam ſi ignorans ſciret, ibi eſſe inimicum, libentius eum occideret : ergo ignorantia concomitans nullo modo tollit voluntarium.

XII. Reſpondeo, neg. abſolute maj. Nam ſolum vera eſt de ignorantia antecedente, quæ eſt cauſa, cur ponatur effectus, qui, ſi adeſſet ſcientia, non poneretur ; & ideo cauſat involuntarium, ut dicemus : non tamen de ignorantia concomitante, quæ nec inducit ad volendum, nec ad non volendum, ſed per accidens ſe habet, ſive ad actum voluntatis, ſive ad opus, quod agitur —— Cæterum admiſſa majori, diſt. min. Non impediret effectum quantum ad entitatem, & ſubſtantiam, con. min. Quantum ad rationem non voluntarii, neg. min. Ignorantia concomitans non eſt cauſa, cur fiat effectus quoad ſubſtantiam, ſed cur fiat non voluntarie : unde ſi adeſſet ſcientia produceretur quidem idem effectus quoad entitatem, nempe eadem emiſſio ſagittæ, & occiſio hominis : ſed ubi modo ſtante ignorantia producitur non voluntarie occiſio hominis, quia ignorata ; tunc, quia cognita, voluntarie fieret.

XIII. Neque dicas ; omnem actum humanum debere eſſe vel voluntarium, vel involuntarium. ---- Nam hoc verum eſt de actu, cui adeſt ſcientia. Actus autem ; cui prorſus deeſt ſcientia, non eſt ſubjectum aptum nec voluntarii, nec involuntarii, ſed ſolum non voluntarii. Sicut lapidi, quia non eſt ſubjectum aptum ad viſum, non convenit eſſe videntem, vel cœcum, ſed ſolum non videntem.

§. III.

De Ignorantia Conſequente.

XIV. DIco ſecundo. Ignorantia conſequens, ſive ſit affectata, ſive non ; ſive ſit Juris, ſive facti, ſeu malæ electionis, cauſat voluntarium ſimpliciter, & involuntarium ſolum ſecundum quid. Ita Divus Thomas hoc *art.* 8. Ubi poſtquam ignorantiam conſequentem diſtinxit in ignorantiam malæ electionis ; puta cum aliquis ex paſſione, vel habitu actum non conſiderat, quem hic & nunc conſiderare poteſt, & debet ; & in ignorantia Juris ; puta cum aliquis notitiam rerum agendarum, quam debet habere ſive quia laborem refugit, ſive quia illud negligit, quod negligere non debet) non curat acquirere ; concludit : *Cum autem iſta ignorantia ſit voluntaria aliquo iſtorum modorum, non poteſt cauſare ſimpliciter involuntarium : cauſat tamen ſecundum quid involuntarium ; in quantum præcedit motum voluntatis ad aliquid agendum, qui non eſſet ſcientia præſente.*

XV. Prior ergo pars probatur. Illud eſt ſimpliciter voluntarium, quod, omnibus conſideratis hic & nunc, potuiſſet, & debuiſſet aliquis vitare, & non vitavit : atqui opus, quod ex una prædictarum ignorantiarum fit, omnibus bene conſideratis poterat, ac debebat vitare, & non vitavit is, qui illud fecit ; ergo in eis eſt ſimpliciter voluntarium.

Confirm. Ignorantia ejus, qui potuit, ac debuit eam vitare, & non vitavit, eſt ſimpliciter volita ; ergo effectus ex illa ſecutus erit ſimpliciter volitus, & voluntarius. Cui enim voluntaria eſt cauſa alicujus effectus, voluntarius eſt etiam effectus ex ea ſecutus.

XVI. Poſterior autem pars ſuadetur. Quod enim aliqualiter fit contra inclinationem voluntatis, eſt involuntarium ſecundum quid : ſed effectus proveniens ex ignorantia conſequente fit contra aliquam inclinationem voluntatis : qui enim operatur ex tali ignorantia, ita eſt affectus cum operatur, ut ſi adeſſet ſcientia, non operaretur ; unde poſito effectu, & adveniente ſcientia triſtatur : ut patet in eo, qui non facta ſufficiente diligentia putans occidere feram, invenit ſe occidiſſe amicum ; ergo &c. Quare bene dicit Ariſt. 3. Ethic. cap. 1. *Eorum, qui per inſcitiam agunt, is, quem facti pœnitet, invitus egiſſe dicitur.* Talis enim ignorantia aliquomodo præcedit voluntatis motum *ad aliquid agendum, qui non eſſet ſcientia præſente*, ut ait D. Th. hic.

XVII. Sed quomodo, inquies, ignorantia conſequens, quæ conſequitur voluntatis actum, nunc dicitur motum voluntatis præcedere ? —— Reſpondeo, aliquem motum voluntatis conſequi, & alium præcedere. Sequitur eum, quo quis vel directe, vel indirecte vult ignorare, & hac ratione cauſat voluntarium ſimpliciter : præcedit autem illum, quo ex tali ignorantia voluntas procedit ad aliquid agendum, & qui non eſſet, ſi adeſſet ſcientia. Quare ignorantia conſequens non præcedit omnem voluntatis motum, quemadmodum eum præcedit ignorantia antecedens ; ſed eum ſolum, quo ad agendum progreditur.

XVIII. Advertere tamen oportet, ignorantiam conſequentem aliquando conditionem ignorantiæ concomitantis admittere ; ut cum aliquis, non facta ſufficienti diligentia, dum putat ſe occidere feram, occidit hoſtem ſuum, quem valde cupiebat occidere, ex quo facto lætatur. Talis ergo ignorantia quaſi mixta ex conſequente, & concomitante, participat de utraque : de conſequente enim participat facere voluntarium ſimpliciter ; de concomitante vero non triſtari de effectu, ſed lætari ; atque adeo non cauſare involuntarium ſecundum quid.

XIX. At contra priorem partem objici poteſt, ignorantia conſequens removet ſcientiam, quæ ſi adeſſet, homo non faceret id, quod modo ex ignorantia facit ; ergo talis ignorantia cauſat involuntarium ſimpliciter. Ant. eſt D. Thomæ ſupra laudati. Conſeq. vero probatur. Non enim alia ratione ignorantia antecedens cauſat involuntarium ſimpliciter, niſi quia removet ſcientiam ; quæ ſi adeſſet, homo non faceret id, quod facit ex ignorantia ; ergo &c.

Reſpondeo, co. ant. neg. conſ. Ad cujus probat. nego cauſalem. Non enim ideo ſolum ignorantia antecedens cauſat involuntarium ſimpliciter, quia privat ſcientia, quæ, ſi adeſſet, non fieret id, quod ex ignorantia fit : ſed quia, ut ait D. Th. hic *non eſt voluntaria, & tamen eſt cauſa volendi, quod alias non vellet*. Quia vero ignorantia conſequens, eſto in hoc ſecundo conveniat cum ignorantia antecedente, non tamen convenit in primo : quandoquidem ignorantia conſequens eſt voluntaria, vel formaliter, vel virtualiter ; utpote ſupponens actum voluntatis, quo, cum poſſet, ac deberet, ex paſſione, aut negligentia noluit tollere ignorantia : ideo licet excludat ſcientiam, quæ, ſi adeſſet, impediret actum, adhuc tamen cauſat voluntarium ſimpliciter, & involuntarium ſolum ſecundum quid.

XX. Contra ſecundam partem objicies. Quod operans ex ignorantia concomitante ſit ita affectus, ut etiam præſente ſcientia libentius operaretur, non ſufficit, ut effectus ſecutus dicatur voluntarius adhuc ſecundum quid, ut notavimus ; ergo ab oppoſito, quod operans ex ignorantia conſequente ſit ita affectus, ut, ſi adeſſet ſcientia, non ageret, non cauſat involuntarium ſecundum quid.

Reſpondeo, neg. conſeq. & diſparitas ex dictis eſt. Quia ad rationem voluntarii requiritur cognitio ; quæ cum deſit inculpabiliter operanti cum ignorantia pure concomitante, non poteſt effectus cum tali ignorantia ſecutus eſſe voluntarius, etſi operans ita ſit affectus, ut ſi ſciret, libentius ageret. At ad rationem involuntarii non eſt neceſſe adeſſe cognitionem ; ſed ſat eſt, ut effectus ſit contra inclinationem ſaltem habitualem, quæ perſeveret, cum effectus producitur.

§. IV.

De Ignorantia antecedente.

XXI. DIco tertio. Ignorantia pure antecedens : & vere invincibilis, ſive Juris cauſat involuntarium ſimpliciter, & excuſat a culpa. Ita S. Thom. hoc *art.* 8. dicens : *Antecedenter autem ſe habet ad voluntatem ignorantia, quando non eſt voluntaria, & tamen eſt cauſa volendi : quod alias non vellet : ſicut cum aliquis homo ignorat aliquam circumſtantiam actus, quam non tenebatur ſcire, & ex hoc aliquid agit, quod non faceret, ſi ſciret, puta cum aliquis diligentia adhibita neſciens aliquem tranſire per viam, projicit ſagittam, qua interficit tranſeuntem. Et talis ignorantia cauſat involuntarium ſimpliciter.*

XXII. Contra hanc reſolutionem obſtrepit Lutherus in *cap. 1. Geneſis*, ubi ait : *Scholaſtici dicunt, invincibilem ignorantiam reddere excuſabiles : Tanta cæcitas eſt in Papæ Scholis, & Eccleſiis.* Lutherum ſequuntur omnes ejus gregales, & moderni Acatholici.

XXIII. Janſenius vero *lib. 2. de Statu naturæ lapſæ c. 2.* dicit, generale Scholaſticorum pronunciatum, quod *Quidquid ex invincibili fit ignorantia, hoc ipſo culpa vacat, quamvis humanæ rationi, qua nititur, plauſibile eſſe videatur ; difficile tamen eſt, illud cum doctrina Auguſtini conciliare.* Et cap. 5. poſtquam dixit, quod ignorantia invincibilis, alia eſt Juris, alia facti ; & rurſus ignorantia Juris alia eſt Juris divini poſitivi, alia naturalis ; ſtatuit, ſe non loqui de ignorantia facti, nec de ignorantia Juris poſitivi divini, utraque enim, ſi ſit invincibilis, a peccato excuſat : ſed de ignorantia juris naturalis : *Quod* (inquit) *naturæ dicimus, quia intimis conſcientiæ, & rationis penetralibus, nullo humano magiſterio, ſed ipſius Dei creantis beneficio inſculpitur : at propter peccatum, in qua natura naſcitur,*

nititur, & quod peccandi conſuetudine poſtea adjicitur, & roboratur ; ita ſubinde lumen illud divinitus infixum hebeſcit, & obtunditur ; ut Jus iſtud velut altiſſima quadam oblivione ſubmerſum ſit. Nec deſunt apertiſſima Auguſtini teſtimonia . . . . Horum quampluribus adductis, demum in fine Capitis concludit Janſenius : *Hujus igitur legis naturalis ignorantia . . . ſive ſit invincibilis, ut in iis forſan, quæ magis a principiis diſtant, concluſionibus naturalibus, & in variarum occurſu ſubito circumſtantiarum plerumque accidit, non excuſat a peccato delinquentes.* Hujus doctrinæ, quam ipſe vocat *arcanam*, aſſignare contendit radicem Adami peccatum : unde quamvis ipſa proprie peccatum non ſit, quia tamen effectus peccati eſt, quidquid ex illa cæcitate perperam fit, ſine peccato non eſt. Ita diſcurrit Janſenius.

XXIV. Inaniter tamen ſibi adulatur Janſenius de hac doctrina, quaſi arcana, & nova. Eam enim ante ipſum tradiderant Lutherus, ut dicebam, & alii ex eodem grege ; inter quos Hieronymus Zanchius Luthero-Calviniſta *lib. 1. Tract. Theologic. cap. 12. Theſi prima*, ubi poſt longam de ignorantia Juris naturalis diſputationem, ita concludit : *Summa omnis ignorantia eorum, quæ quis ſcire tenetur peccatum eſt ; quia cum lege, qua jubemur illa cognoſcere pugnat, ſive id cognoſcere jam poſſis, ſive non poſſis. Quod enim jam non poſſes, peccato Adæ, quod tuum eſt, quia omnes in eo peccaverunt, factum eſt. Quare falluntur Scholaſtici : cum talem ignorantiam, quam invincibilem vocant, ideo a peccato excuſant, quia invincibilis eſt, ut loquuntur. Quamquam evincere poſſumus, eam non eſſe ſimpliciter invincibilem, cum voluntarium Adæ peccatum ſit ſubſecuta.* His Zanchius Janſenio doctrinam hanc arcanam tradidit ; in hoc tamen diverſus, quod vult, omnem ignorantiam eſſe peccatum, & nullam eſſe invincibilem : ubi Janſenius admittit ignorantiam invincibilem etiam Juris naturalis, & negat, eam eſſe proprie peccatum : & tamen vult, quod qui ex ea procedit, non excuſetur a peccato.

§. V.

Probatur Aſſertio Catholica contra Janſenium.

XXV. PRimo ſic evincitur ad hominem. Janſenius ideo vult, ignorantiam juris naturalis non excuſare a peccato, quia pœna primi peccati nempe Adami eſt : ſed hæc ratio etiam in ſuis principiis eſt falſa ; ergo &c. Min. prob. primo. Motus concupiſcentiæ prævenientes conſenſum voluntatis, immo voluntati repugnantes, pœna peccati originis ſunt, ſicut & rebellio appetitus : & tamen juxta ipſum, niſi Lutheranis, & Calviniſtis miſceatur, nec peccata ſunt, nec imputantur. Unde Tridentinum *Seſſ. 5.* declarat, concupiſcentiam, vel fomitem non conſentientibus nocere non poſſe. Et Auguſt. *lib. 2. contra Julian. cap. 9.* loquens de concupiſcentia, quæ adhuc nobis non conſentientibus poſt Baptiſmum rebellat, dicit ; *Quamvis non eo modo appelletur peccatum, quod facit reum ; ſed quod ſit reatu primi hominis factum, & quod rebellando nos trahere nititur ad reatum.* Sed de hoc plura diximus ſuperius *6. in 1. p. de Effectibus peccati originalis.*

XXVI. Secundo. Phræneſis, inſania, & cœcitas corporalis, aliæque generis humani miſeriæ effectus, & pœnæ peccati Originalis ſunt, ut fatetur Janſenius *lib. 3. de Statu naturæ puræ c. 11. 14. & 15.* ſed, ut puto, non dicit, quidquid mali faciunt inſani, aut phrænetici eſſe peccata ; & culpabiliter agere cœcum a nativitate, qui volens canem abigere, hominem percutiat, ſi invincibiliter ignoret, eum ibi adeſſe ; ergo nec ea, quæ fiunt ex ignorantia, ſeu cœcitate mentis, quamvis pœna peccati ſit, erunt imputabilia, & peccata.

XXVII. Tertio. Sicut ſubtractio cognitionis naturalis pœna peccati eſt, ita ſubtractio cognitionis ſupernaturalis, maxime eorum, quæ credenda ſunt, pœna eſt præcipua peccati originalis : ſed ignorantia invincibilis credendorum ſecundum Janſenii mentem excuſat a peccato infidelitatis : unde admittit, ignorantiam invincibilem Juris poſitivi divini a peccato excuſare eos, qui nihil de Evangelio audierunt, & ſunt Infideles ſolum negative, ſecundum illud Chriſti Joann. 15. v. 22. *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent* ; ſuper quæ Auguſtin. tract. 91. in Joann. *hoc peccatum*, inquit, (incredulitatis) *ſi non veniſſet, utique non haberent* : & D. Th. 2. 2. *q.* 10. *art.* 1. ubi diſtinguens infidelitatem in eam, quæ eſt ſecundum puram negationem, & in eam, quæ eſt ſecundum contrarietatem ad fidem, qua ſcilicet aliquis repugnat auditui fidei, dicit : quod infidelitas *ſi accipiatur ſecundum puram negationem, ſicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, ſed magis pœnæ ; quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis conſecuta eſt* ; ergo &c. Quare inter propoſitiones Baii a S. Pio V. damnatas, iſta eſt num. 68. *Infidelitas pure negativa, in his, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.*

XXVIII. Ex his præcluſa manet reſponſio, nempe ignorantiam juris poſitivi ideo excuſare a peccato, quia non eſt in pœnam peccati inflicta. Etenim hoc eſt primo contra Janſenium ipſum : qui *l. 10. de gratia Chriſti c. 3.* dicit, infidelitatem etiam negativam a peccato originali eſſe, & reprobationis effectum, cujus cauſa eſt originale peccatum. Et Auguſt. Epiſt. 105. modo 194. ad Sixtum cap. 6. *Ipſa* (inquit) *Ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt, in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati.*

XXIX. Deinde : quo fundamento negat Janſenius, ignorantiam Juris poſitivi pœnam eſſe peccati ? Qua doctorum auctoritate fulcitur ? Certe nulla. Nam infidelitatem negativam pœnam eſſe peccati originis docet Auguſtinus laudatus, immo Janſenius ipſe, ut vidimus. Nulla quoque miſeria, aut ærumna reperitur in homine, quæ non ſit effectus, & pœna peccati, ut docet ipſe *lib. 3. de Statu naturæ puræ cap.* 10. & 11. cum ergo ignorantia legis poſitivæ ſit aliqua miſeria : ergo hæc etiam a peccato primi Parentis orta eſt. Quod ſi hæc a peccato excuſat, cur non etiam ignorantia Juris naturalis?

XXX. Tertio SS. Auguſtinus, & Hieronymus (ut contra Pelagianos oſtendant, ignorantiam ex peccato, & in pœnam peccati eſſe) plurima ignorantiæ facti, & Juris poſitivi exempla, proferunt, ut factum Regis Abimelech accipientis in uxorem Saram *Gen.* 20. invincibiliter ignorantis, eam eſſe uxorem Abrahæ : factum illius, qui fortuito occidiſſet hominem, putans eſſe feram, qui jubebatur recurrere ad civitates refugii, ibique uſque ad mortem ſummi Sacerdotis manere. *Num.* 35. Item qui ex ignorantia facti, aut Juris poſitivi aliquid immundi, aut ſanctificatum tetigerit, tamquam pro peccato ſacrificium offerre præcipitur. *Levit.* 5. & 22. Et tandem illud Apoſtoli 1. ad Timoth. 1. v. 13. *Miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate*, quæ de ignorantia legis Evangelicæ, non legis naturalis eſſe intelligenda manifeſtum eſt. Ideoque ex mente SS. Auguſtini, & & Hieronymi ignorantiam legis poſitivæ divinæ, ſicut & ignorantiam facti, pœnam eſſe peccati originalis.

XXXI. Secundo probatur ratione principali. Id, quod prorſus involuntarie, & neceſſario fit, imputari ad culpam non poteſt : ſed quod ex ignorantia antecedente, & invincibili etiam Juris fit, involuntarie, & neceſſario fit ; ergo non poteſt imputari : Maj. varie probatur. Primo. Quia inter propoſitiones Baii a S. Pio V. damnatas 46. illa eſt : *Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium.* Et 67. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſario facit.* Secundo. D. Auguſtin. l. de Vera Religione cap. 14. *Uſque adeo* (inquit) *peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium : & hoc quidem ita manifeſtum eſt, ut nulla hinc Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat. Quare aut negandum eſt, peccatum committi, aut fatendum eſt, voluntate committi.* Quam doctrinam probat etiam *l. de Natura, & gratia contra Pelagianos cap.* 67. & *l. Retractat. c.* 13. illud exponens, oſtendit, omne peccatum voluntate committi.

XXXII. Neque valet reſponſio familiaris Janſenii ; hoc eſſe verum ; ſed intelligendum eſſe de voluntario, vel voluntate propria ipſius peccatoris, vel voluntate Capitis, nempe Adami, in quo omnes peccaverunt : & hoc modo voluntariam eſſe ignorantiam Juris naturalis, etſi invincibilem.

XXXIII. Nam contra eſt primo. Si ad rationem voluntarii ſufficientis ad peccatum ſatis eſt, ut ſit voluntarium ſola voluntate Capitis, jam imputabitur homini ad culpam non ſola ignorantia legis naturalis, ſed ignorantia facti, & Juris poſitivi : inſuper motus concupiſcentiæ prævenientes, actus omnes, quos facit homo in phræneſi, vel amentia, & demum omnes ærumnæ, & miſeriæ, ſive corporis, ſive animæ ; quia omnia voluntaria ſunt voluntate Capitis, & inducta in pœnam illius peccati, quo omnes in Adam voluntarie peccaverunt : ſed hoc non audet aſſeverare Janſenius ; ergo &c.

XXXIV. Contra ſecundo. Quia D. Aug. *lib. 83. Quæſt. quæſt.* 24. ait : *Nec peccatum autem, nec recte factum imputari cuiquam juſte poteſt, qui nihil fecerit propria voluntate. Eſt igitur & peccatum, & recte factum in libero voluntatis arbitrio.* Et *lib. 1. Retractat. cap.* 13. citato oſtendit, omnia, quæ vere peccata ſunt, voluntate fieri. Nam *& ille, qui concupiſcente adverſus ſpiritum carne non ea, quæ vult, facit, concupiſcit quidem nolens, & in eo non facit, quod vult : ſed ſi vincitur, concupiſcentiæ conſentit volens, & in eo non facit, niſi quod vult.* Et concludit : *Non itaque falſum eſt, quod dixi : uſque adeo peccatum voluntarium malum eſt, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium.* Ubi certe loquitur de voluntate propria ipſius peccantis.

Clarius autem, & expreſſius *lib. 3. de Libero arbit. c.* 19. ubi nedum noſtram ſtatuit aſſertionem, ſed etiam prævenit reſponſionem Janſenii. Ait enim : *Hic occurrit illa quæſtio, quam inter ſe murmurantes homines reddere conſueverunt, qui quodlibet aliud in peccando, quam ſe accuſare parati ſunt. Dicunt enim : ſi Adam, & Heva peccaverunt, quid nos miſeri fecimus ; ut cum ignorantiæ cæcitate, & difficultatis cruciatibus naſceremur, & primo erraremus, neſcientes, quod nobis eſſet faciendum : deinde ubi nobis inciperent aperiri præcepta juſtitiæ, vellemus ea facere, & renitente carnali concupiſcentia neſcioqua neceſſitate non valeremus ? —— Quibus breviter reſpondetur, ut quieſcant, & adverſus Deum murmurare deſiſtant. Recte enim fortaſſe quererentur, ſi erroris, & libidinis nullus hominum victor exiſteret : cum vero ubique ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi Dimino ſervientem, averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem ; non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere, quod ignoras ; neque illud, quod vulnerata membra non colligis, ſed quod voluntate ſanare contemnis : iſta tua propria peccata ſunt. Nulli enim homini ablatum eſt ſcire utiliter quærere, quod inutiliter ignoratur, & humiliter confitendam eſſe imbecillitatem ; ut quærenti, & confitenti ille ſubveniat, qui nec errat, dum ſubvenit, nec laborat.*

XXXV. Quæ Auguſtini verba exponens D. Thom. quæſtion. 3. de Malo art. 7. ad 7. *Dicendum* (inquit) *quod ignorantia, quæ eſt omnino involuntaria, non eſt peccatum. Et hoc eſt, quod Auguſtinus dicit :* Non tibi imputatur ad culpam, ſi invitus ignores. *Per hoc autem, quod addit,* ſed ſi ſcire neglexeris, *dat intelligere, quod ignorantia habet, quod ſit peccatum ex negligentia præcedente, quæ nihil eſt aliud, quam non applicare ani-*

animum ad ſciendum ea, quæ quis debet ſcire. Cum ergo hi duo SS. Doctores, non obſtante Adami peccato, generaliter diſtinguant ignorantiam, quæ ex naturæ imbecillitate eſt, ab ea, quæ eſt ex negligentia; & priorem dicant non imputari, & quidem generaliter, non reſtringendo ad ſolum Jus poſitivum: non video, quo fundamento poſſit Janſenius ex doctrina horum Patrum oppoſitum opinari; cum S. Thomas 1. 2. *q. 74. art. 1. ad 2.* aperte dicat: *Si defectus apprehenſivæ virtutis nullo modo ſubjaceret voluntati, non eſſet peccatum nec in voluntate, nec in apprehenſiva virtute; ſicut patet in his, qui habent ignorantiam invincibilem*.

XXXVI. Sed ut penitus occludatur os Janſeniſtis, audiendi ſunt iterum SS. Auguſtinus, & Thomas. Ille quidem *l. de de duabus Animabus cap.* 10. ubi contra Manichæos probat, nullum eſſe peccatum, niſi propria voluntate commiſſum, & quidem libere. Unde cap. 11. definiens peccatum ait: *Peccatum eſt voluntas retinendi, vel conſequendi, quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere*. Unde Manichæos dicentes, aliquas animas ex commixtione cum malis factas eſſe malas, hoc dilemmate convincit. Vel ex tali cum malis commixtione aliquid propria voluntate fecerunt, vel non. Si non; ergo non peccarunt. Si ſic; ergo propria voluntate, non natura peccarunt. Quia tamen Janſeniſta dicere poteſt, omnes homines Adamo peccanti quaſi permixtos, propria voluntate in illo peccaſſe, propria quidem, ſed ut in ipſo contenta.

XXXVII. Audiendus propterea eſt etiam D. Th. *in 2. diſt. 30. q. 1. art. 2.* ubi quaſi præveniens hanc reſponſionem: *Oportet* (inquit) *quod ſecundum hoc, quod aliquid rationem culpæ habet, ſecundum hoc ratio voluntarii in ipſo reperiatur: ſicut autem eſt quoddam bonum, quod reſpicit naturam, & quoddam, quod reſpicit perſonam*: ita *etiam eſt quædam culpa naturæ, & quædam perſonæ. Unde ad culpam perſonæ requiritur voluntas perſonæ, ſicut patet in culpa actuali, quæ per actum perſonæ committitur; ad culpam vero naturæ non requiritur; niſi voluntas in natura illa*. Eſto ergo ad contrahendam culpam naturæ, nempe Originalem, ſufficiat voluntarium in Adamo, ut principio naturæ omnes hominum voluntates continente; ad committendam tamen culpam propriam perſonæ particularis requiritur voluntas propria perſonæ. Quemadmodum ſi Adam in juſtitia perſtitiſſet, & cum natura eam transfudiſſet; ad contrahendam quidem juſtitiam originalem naturæ ſatis fuiſſet voluntas contenta in Adamo naturæ principio; ad meritum tamen perſonale Poſterorum, requiſita fuiſſet voluntas propria: adeo ut ſine iſta fuiſſent quidem originaliter juſti, ſed non actualiter. Ergo ſimiliter voluntas hominum in Adam peccatore contenta ſufficiet quidem ad denominandos ſingulos originaliter peccatores, qui cum natura ab eo trahunt peccatum naturæ; non tamen ſufficiet ad eos denominandos perſonaliter peccantes, niſi adſit voluntas propria. Quamvis ergo ignorantia vitium naturæ ſit ab Adamo contractum, ſi tamen directe, vel indirecte non ſit voluntaria voluntate propria, non conſtituet perſonam illam actu peccantem. Hæc eſt doctrina D. Thomæ qui cum a Janſenio ipſo fidelis Auguſtini interpres, ideoque *Auguſtinus Contractus* nuncupetur; fateri tenebitur, eamdem eſſe Auguſtini doctrinam. Sed audiamus Janſenium.

§. VI.

Janſeniana Fundamenta evertuntur.

XXXVIII. OBjiciuntur in favorem Janſenii primo quædam facta, & auctoritates Scripturæ. Facta quidem. Nam actio Regis Abimelech recipientis ut uxorem Saram (Geneſ. 20.) vocatur peccatum, quum tamen invincibiliter ignoraret, eam eſſe uxorem Abrahæ. Item Num. 35. qui fortuito occidiſſet hominem putans eſſe feram, jubebatur in pœnam in Civitate refugii manere uſque ad mortem Summi Sacerdotis. Auctoritates vero. Nam Hebræor. *9. v. 7.* ſemel in anno ſolus Pontifex intrabat in Sancta Sanctorum non ſine ſanguine, quem offerebat *pro ſua, & populi ignorantia*. David. Pſ. 24. v. 7. ſic orabat: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*. Item Lucæ 12. v. 48. de ſervo, qui non cognovit voluntatem domini ſui, dicitur: *Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis*. Et aliis ſimilibus locis apparet, quod tranſgreſſiones, eſto factæ ex ignorantia, puniuntur, & conſequenter imputantur tamquam peccata.

XXXIX. Reſpondeo primo; hæc teſtimonia nocere Janſenio magis, quam prodeſſe. Nam in illis ſermo eſt, vel de ignorantia facti, vel Juris poſitivi humani, vel divini; præſertim de ignorantia legis Veteris, vel Novæ. Unde ſi probarent, evincerent, nec ignorantiam facti, & Juris poſitivi excuſare a peccato: quod tamen Janſenius, ut ſupra vidimus, non admittit.

XL. Reſpondeo ſecundo, ad primum de Abimelech: vel eum in illo actu non peccaſſe, ſi ex ignorantia invincibili, quod eſſet uxor Abrahæ, tulit Saram: unde v. *6. Dixit ad eum Deus: & ego ſcio, quod ſimplici corde feceris: & ideo cuſtodivi te, ne peccares in me*. Et D. Auguſt. lib. 3. contra Julian. cap. 19. *Sed ſciebam, inquit Deus, quia in corde mundo feciſti hoc: non omnia, vel quæcumque alia; ſed hoc, in quo adulterii conſcientiam non habebat*. Vel ſi aliquo modo peccavit, ejus ignorantia fuit invincibilis: quia libidine ardens, ſtatim ac Saram vidit, audivitque, eam eſſe Abrahæ ſororem, non adhibita ulteriori diligentia, ut oportebat, eam tulit. Ita ſentit Hugo Cardinalis in c. 20. Geneſ.

XLI. Ad alia vero loca, quibus dicuntur oblata Sacrificia, & pœnæ in Veteri lege inflictæ pro illis, qui peccaverant ex ignorantia; dico, ſermonem ibi eſſe de ignorantia vincibili, & aliquo modo voluntaria, de quibus loquitur David Pſalm. 24. citato: *Ignorantias meas ne memineris*. Eo vel maxime, quod omnis peccans eſt ignorans ignorantia ſaltem practica. Unde S. Thomas in *c. 9. Hebr. lect.* 2. dicit, quod Sacerdos Veteris legis ſemel in anno offerebat pro ſua, & populi ignorantia, *ideſt pro peccatis. Proverb.* 24. Errant, qui operantur malum: *Omnis enim malus ignorat, ut habetur 3. Ethic.*

XLII. Ignorantia ſimiliter illius ſervi, qui apud Lucam vapulabit paucis, fuit vincibilis, & culpabilis ex negligentia, non advertendo ad voluntatem Domini. Ita D. Thomas in Catena aurea in Lucam, ubi hæc verba Theodoreti refert: *Hic objiciunt aliqui: merito punitur, qui ſciens voluntatem domini, non perſequitur. Sed cur punitur ignorans? Quia cum ipſe potuiſſet, noluit; ſed pigritans ipſe fuit ignorantiæ ſuæ cauſa*. Quare D. Bernardus Epiſt. olim 77. nunc Tractatu de Baptiſmo ad Hugonem c. 1. *Multa profecto* (inquit) *ſcienda neſciuntur, aut ſciendi incuria, aut diſcendi deſidia, aut verecundia inquirendi. Et quidem hujuſmodi ignorantia non habet excuſationem*.

XLIII. Objicit ſecundo Janſenius S. Auguſtinum, quem jactat ſuæ ſententiæ Patronum. Primo ex *lib. de Gratia & libero arbitr. cap.* 3. ubi hæc habet: *Sed & illa ignorantia, quæ non eſt eorum, qui ſcire nolunt, ſed eorum, qui tamquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat, ſi propterea non credidit; quia non audivit omnino quid crederet, ſed fortaſſe, ut mitius ardeat. Non enim ſine cauſa dictum eſt: Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt*. Cum ergo S. Doctor non loquatur de ignorantia eorum, *qui ſcire nolunt, ſed qui ſimpliciter neſciunt*; clarum eſt, eum loqui de ſimplici neſcientia, ſeu invincibile. Quod ſi hi quoque ſempiterno igne propter eam, licet fortaſſe mitius, ardebunt; ſentit, etiam ignorantiam ſimplicem, & invincibilem peccatum eſſe.

XLIV. Secundo. Ex *Epiſt.* 105. modo 194. *ad Sixtum c. 6.* ubi de ſe excuſantibus, quod non crediderunt, quia non audierunt, ait: *Hanc eos excuſationem non habere aſſerit, quam poſſint dicere non audivimus, ideo non credidimus. Humana quippe ſuperbia tamquam præſumens de viribus liberi arbitrii excuſatam ſe putat, quando ignorantiæ, non voluntatis, videtur eſſe quod peccat*.

XLV. Tertio, & quidem fortius. Ut Auguſtinus refert *lib. de Geſtis Pelagii in Synodo Dioſpolitana*, poſtquam *cap.* 18. ex libris Cæleſtii hæretici quædam propoſitiones recitatæ fuerunt, quarum ſeptima erat. *Oblivionem, & ignorantiam non ſubjacere peccato; quoniam non ſecundum voluntatem eveniunt, ſed ſecundum neceſſitatem*; finita recitatione Synodus *cap.* 19. dixit; *Quid ad hæc, quæ lecta ſunt, capitula dicit præſens Pelagius Monachus? Hoc enim reprobat Sancta Synodus, & Sancta Dei Catholica Eccleſia*. Quæ de facto ibi etiam Pelagius reprobavit. Ex his format hoc argumentum Janſenius. Ignorantia, quæ evenit ſecundum neceſſitatem procul dubio eſt ignorantia invincibilis: ſed ſecundum doctrinam Catholicam dicendum eſt, talem ignorantiam ſubjacere peccato; ergo falſum eſt, quod a peccato excuſet.

XLVI. Reſpondeo primo, præfata teſtimonia Auguſtini, ſi contra nos urgent, urgere quoque contra Janſenium. Nam, ut vidimus, Ipſe admittit, ignorantiam invincibilem Juris divini excuſare a peccato: cum ergo de hac præfata teſtimonia loquantur, nempe de ignorantia legis Evangelicæ, de qua cum Pelagio erat concertatio, & hanc dicant, non excuſare; ſequitur contra Janſenium; neque ignorantiam Juris poſitivi divini a peccato excuſare.

XLVII. Reſpondeo ergo ad ſingula. Ad primum explico verba Auguſtini: illi, qui ſimpliciter neſciunt, ſempiterno igne ardebunt, propter ignorantiam, nego: propter originale, & alia peccata, quibus impedimentum poſuerunt auditioni Evangelii, concedo, hanc eſſe S. Auguſtini mentem. Infideles ergo, qui Deum adhuc ſimpliciter neſcierunt, ſeu invincibiliter ignoraverunt, mitius punientur; ſed tamen punientur, non ob infidelitatis negativæ culpam, quæ in illis nulla eſt, ſed ſolum ob originale, & alia peccata contra rationem naturalem ab ipſis commiſſa. Et hæc eſt doctrina S. Th. 2. 2. *q.* 10. *art.* 1. ſic loquentis: *Infidelitas dupliciter accipi poteſt. Uno modo ſecundum puram negationem, ut dicatur infidelis ex hoc ſolo, quod non habet fidem. Alio modo poteſt intelligi infidelitas ſecundum contrarietatem ad fidem, qua ſcilicet aliquis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipſam, ſecundum illud Iſaiæ* 53. Quis credidit auditui noſtro? *Et in hoc proprie perficitur ratio infidelitatis; & ſecundum hoc infidelitas eſt peccatum. Si autem accipiatur ſecundum negationem puram, ſicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, ſed magis pœnæ, quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi Parentis conſecuta eſt. Qui autem ſic ſunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quæ ſine fide remitti non poſſunt; non autem damnantur propter infidelitatis peccatum. Unde Dominus dicit Jo.* 15. Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent. *Quod exponens Auguſtinus* (tract. 89. in Joann.) *dicit, quod loquitur de illo peccato, quo non crediderunt in Chriſtum*.

XLVIII. Reſponderi etiam poteſt, S. Aug. non loqui de ignorantia omnino invincibili legis Evangelicæ, ſed aliquo modo vincibili, & voluntaria, vel ex deſidia, aut negligentia. Unde S. Doctor non dicit, illam ignorantiam eſſe eorum; *qui ſimpliciter neſciunt, ſed qui tamquam ſimpliciter neſciunt*. Quæ particula *tamquam* ſatis indicat, eum non loqui de ignorantia prorſus invincibili, ſed quam ſibi adulantur eſſe invincibilem; cum ſi vellent, poſsent eam vincere, adjutorio tamen gratiæ Dei, niſi ei obicem aliis peccatis ponerent. Ita exponit Auguſt.

Aug. Magiſter ſententiarum in 2. *diſt.* 22. in fine, ubi triplicem ignorantiam diſtinguit: *Et eorum, qui ſcire nolunt cum poſſint, quæ non excuſat, quia & ipſa peccatum eſt; & eorum, qui volunt, ſed non poſſunt, quæ excuſat, & eſt pœna peccati, & non peccatum; & eorum, qui quaſi ſimpliciter neſciunt, non renuentes, vel proponentes ſcire, quæ neminem plene excuſat, ſed ſic fortaſſe, ut minus puniatur*.

XLIX. Ad ſecundum teſtimonium ex Auguſtino *Epiſt. ad Sixtum*, communis reſponſio eſt: ibi S. Doctorem intendere, Pelagianos arguere, qui adeo de viribus liberi arbitrii præſumebant, ut exiſtimarent, gratiam internam non eſſe neceſſariam, ſed ſufficere ſibi revelationem extrinſecam Myſteriorum fidei; & propterea hanc excuſationem prætexerent, *non audivimus, ideo non credidimus*. Et inſuper cum negarent peccatum originale, negabant etiam, ignorantiam eſſe peccatum, ſeu vitium a natura in pœnam contractum. Hoc igitur in eis reprehendens Auguſtinus, ibi docet, vanam eſſe eorum excuſationem; quia quod non audierunt, pœna peccati eſt. Ejus verba ſunt: *At per hoc inexcuſabilis eſt omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, ſive qui novit, ſive qui ignorat; ſive qui judicat, ſive qui non judicat. Quia & ipſa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt; in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati. Ergo in utriſque non eſt juſta excuſatio, ſed juſta damnatio*. Propter ſcilicet peccata actualia, vel ſaltem propter originale, cujus pœna eſt ignorantia.

L. Ad tertium teſtimonium dico primo, illud retorqueri poſſe in Janſenium, qui, ut ſupra obſervavimus, ſolam ignorantiam Juris naturalis, etſi invincibilem, vult non excuſare a peccato. Nam concertatio inter Patres Palæſtinos, & Cæleſtium, ac Pelagium, non erat de ſola ignorantia juris naturalis; ſed, immo præcipue, de ignorantia juris poſitivi divini. Quod patet ex ratione, quam ſuæ condemnationi ſubjungit Synodus, dicens: *Cum in lege Sacrificia pro ignorantia, ſicut pro peccato offerantur*. Ex Levitico autem *cap. 5. & 22.* aliiſque locis patet, offerri in lege debuiſſe Sacrificia pro ignorantia facti, & Juris poſitivi. Ergo ſi Patres Palæſtini de omni ignorantia dixerunt, *ſubjacere peccato*, etſi neceſſitate eveniat; hoc dixerunt etiam de ignorantia facti, & Juris poſitivi: quod tamen Janſenius negat.

LI. Omiſſa quorumdam reſponſione, nimirum, ibi a Patribus Palæſtinis ſermonem eſſe de ignorantia vincibili; adducunt enim in exemplum Davidis dictum: *Ignorantias meas ne memineris*: quod certe de ignorantiis vincibilibus, & voluntariis David dixiſſe par eſt credere; quæ etiam ex neceſſitate, non ex voluntate evenire dici poſſunt, ſi non ſint affectatæ, & directe volitæ, ſed ſolum indirecte: quia ſcilicet ad eam depellendam voluntas non adhibet omnem diligentiam, quam poteſt, ac debet. Verum hæc omiſſa.

LII. Reſpondeo, obſervando, Palæſtinos Patres non objeciſſe Pelagio ejurandam hanc propoſitionem: *Oblivionem, & ignorantiam non eſſe peccatum*; ſed iſtam: *Oblivionem, & ignorantiam non ſubjacere peccato*. Cum enim hæretici Pelagiani negarent peccatum originale; & ideo ignorantiam dicerent non evenire propter peccatum naturali origine contractum, ſed ſecundum neceſſitatem, ideſt naturæ nude ſumptæ conditionem: unde & in Adamo, etſi non peccaſſet, etiam fuiſſet: propterea Patres, ut omnem doli ſuſpicionem amoverent; exigebant a Pelagianis, ut faterentur, ignorantiam etiam invincibilem, non quidem eſſe peccatum formaliter, ſed ſubjacere peccato, ſcilicet originali, & eſſe pœnam, effectum, & materiam illius. Imo licet aliquando Patres, & ipſa Scriptura Sacra dicant, tam concupiſcentiam, quam ignorantiam, etiam in illis, in quibus eſt invincibilis, & concupiſcentia involuntaria, eſſe peccatum: nolunt tamen, quod ſint peccatum formaliter, & in ſe, ac proprie, & ſimpliciter, ſed ſolum materialiter, & in cauſa; ut ſupra oſtendimus, cum de concupiſcentia ageremus. Unde D. Th. *quæſt. 3. de Malo art.* 7. ait: *Ignorantias, & fomes ſunt materialia in peccato originali*. Videantur ibi a nobis dicta.

LIII. Interim audiatur S. Auguſtinus *lib. 3. de Lib. arbitr. cap.* 19. dicens: *illud, quod ignorans quiſque non recte facit, & quod recte volens facere non poteſt; ideo dicuntur peccata; quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt: illud enim præcedens meruit iſta ſequentia. Nam ſicut linguam dicimus non ſolum membrum, quod movemus in ore, dum loquitur, ſed etiam illud, quod hujus membri motum conſequitur, ideſt, formam tenoremque verborum; ſecundum quem modum dicitur alia lingua græca, alia latina: ſic non ſolum peccatum illud dicimus, quod proprie vocatur peccatum, libera enim voluntate, & ab ſciente committitur; ſed etiam illud, quod jam de hujus ſupplicio conſequatur, neceſſe eſt &c.*

LIV. Objicit tertio Janſenius, ignorantia Juris naturalis per culpam primi Parentis in homines invecta eſt: ſi enim in ſtatu innocentiæ ille permanſiſſet, homines nihil ignoraſſent eorum, quæ ad Jus naturale pertinent; ergo cum Adamo peccante omnes in eo voluntarie peccaverint, & ejus culpa fuerit omnibus voluntaria; omnibus quoque ignorantia talis Juris ex ea fluens voluntaria facta eſt, adeoque culpabilis, & mala.

LV. Sed hoc argumentum eodem vitio laborat, ac cætera, ut jam oſtendimus. Nam ex culpa Adami nedum fluxit ignorantia Juris naturalis; ſed omnis alia ignorantia tam Juris poſitivi, quam facti: fluxerunt quoque motus prævenientes concupiſcentiæ, & aliæ pœnalitates, quibus humana natura ſubjacet; ergo & omnes iſtæ voluntariæ hominibus ſunt, & culpabiles, ſicut omnibus voluntaria eſt Adæ culpa: quod tamen Janſenius non admittit.

Reſpondeo ergo cum D. Thom. ſupra citato ex 2. *Sent. diſt. 30. quæſt. 1. art. 2.* quod alia eſt culpa naturæ, alia eſt culpa perſonæ. Ad culpam naturæ non requiritur, niſi voluntas in natura illa: at ad culpam perſonæ non requiritur, niſi voluntas perſonæ. Cum ergo ignorantia invincibilis Juris naturalis, eſto ſit voluntaria voluntate naturæ, ſicut peccatum originale, non tamen ſit voluntaria voluntate perſonæ; non eſt peccatum formaliter, ſed ſolum materialiter, ut ex ſupra dictis patet.

LVI. Objicies quarto D. Thom. *Quodlibeto* 8. *art.* 13. dicentem: *Quod agit contra legem, ſemper eſt malum; nec excuſatur per hoc, quod eſt ſecundum conſcientiam*. Et quolib. 9. art. 15. *Error, quo non creditur eſſe peccatum mortale, conſcientiam non excuſat a toto, licet forte a tanto*; ergo ignorantia minuit quidem forte culpam; ſed a culpa non excuſat in toto.

Reſpondetur, S. Thom. loqui de errore, & ignorantia vincibili, quæ ſcilicet relinquit aliquam dubitationem de oppoſito; hanc enim qui experitur; tenetur tollere, quod ſi non tollit, peccat; quia ſequitur conſcientiam vincibiliter erroneam: non vero loqui de ignorantia, aut errore invincibili, quo ſecluſa omni dubitatione, putat non eſſe contra legem. Unde *Quodlib. 8. art.* 13. citato concludit: *Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur: & ſic non committit ſe diſcrimini, non peccat*.

§. VII.

An dari poſſit ignorantia invincibilis Juris naturalis?

LVII. HActenus defendimus, ignorantiam invincibilem Juris naturalis a peccato excuſare. Ne tamen quis nobis opponat, nos in falſo ſuppoſito laboraſſe, cum nulla detur Juris naturalis ignorantia, quæ ſit invincibilis; ideo hoc etiam ſtatuendum eſt.

Obſervo in Jure naturali tria diſtingui poſſe genera præceptorum. Quædam notiſſima, & univerſaliſſima, quæ non tam dicenda ſunt præcepta, quam præceptorum omnium principia, cujuſmodi ſunt iſta: *Bonum eſt faciendum. Malum eſt fugiendum. Quod tibi non vis, alteri ne feceris*. Ad hæc reduci poſſunt quædam ex præceptis Decalogi, quæ ex eis nullo negotio a quovis ratione utente cito deducuntur; ut quod Deus ſit colendus: parentes ſint honorandi. Alia ſunt, quæ licet immediate etiam ex iiſdem principiis inferantur; non tamen ita facile, & evidenter ſicut ea, quæ modo diximus, cujuſmodi ſunt alia Decalogi præcepta; ut non furari, non mentiri. Alia denique ſunt in Jure naturali præcepta non per ſe nota, ſed velut concluſiones aliorum, quæ diximus: & quæ non niſi diſcurſu, & labore ex eis deducuntur.

LVIII. D. Thom. 1. 2. *quæſt. 94. art. 6.* ubi quærit, an lex naturæ poſſit a corde hominis aboleri, ſic diſcurrit; *Ad legem naturalem pertinent primo quidem quædam præcepta communiſſima; quæ ſunt omnibus nota; quædam autem ſecundaria præcepta magis propria, quæ ſunt quaſi concluſiones propinquæ principiis. Quantum ergo ad illa principia communia lex naturalis nullo modo poteſt a cordibus hominum deleri in univerſali: deletur tamen in particulari operabili, ſecundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiſcentiam, vel aliquam aliam paſſionem, ut ſupra dictum eſt* (quæſt. 77. art. 2.) *Quantum vero ad alia præcepta ſecundaria poteſt lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas perſuaſiones, eo modo, quo etiam in ſpeculativis errores contingunt circa concluſiones neceſſarias; vel etiam propter pravas conſuetudines, & habitus corruptos: ſicut apud quoſdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut etiam Apoſt. dicit ad Rom.* 1. Ita S. Thomas.

LIX. Sed dices. Ex præfatis Divi Thomæ verbis colligitur, ignorantiam legis naturalis ſemper oriri, vel ex concupiſcentia, vel alia paſſione, vel ex prava conſuetudine, & habitu corrupto: ſed ignorantia, quæ ex paſſione, vel habitu oritur, non eſt invincibilis, nec excuſat a peccato, ut docet idem S. Doctor 1. 2. *quæſt. 77. art. 7. ad* 2. ergo non datur ignorantia Juris naturalis, quæ ſit invincibilis.

LX. Reſpondeo tamen, S. Thom. vel loqui de ignorantia circa principia, vel circa concluſiones, quæ ex eis neceſſario, & evidenter inferuntur: de his enim non datur (ſaltem ad longum tempus) ignorantia invincibilis. Ita ſentit Medina dicens: *Circa præcepta Decalogi, quæ facili negotio ex principiis per ſe notis eliciuntur, poteſt eſſe ignorantia invincibilis per breve temporis ſpatium, ſed non poteſt perſeverare*. Non enim habitus corruptus adeo obnubilare poteſt rationem naturalem, quin tandem poſſit homo ignorantiam depellere; quod ſi non facit, ei imputatur. Non autem loqui de ignorantia quoad concluſiones valde remotas, & quoad illos caſus difficiles, de quibus controverſia eſt apud Doctores: an lege naturali ſint prohibita, nec ne. Si lex naturalis præcipit non inferre damnum proximo, nec eum bonis ſuis ſpoliare; & hoc nulla ignorantia tegi poteſt: ex hoc principio infert, talem, vel talem contractum eſſe illicitum, & contra ordinem juſtitiæ a Deo ſtatutum. Cæterum quia hæc illatio non eſt clara, & facilis, ſed difficilis, & obſcura; ideo multi non ſolum rudes, ſed & docti eam invincibiliter ignorare poſſunt. Quare præfatus Medina ait: *Circa alia præcepta naturalia, quæ eliciuntur ex præceptis Decalogi per conſequentiam non valde evidentem, poteſt eſſe ignorantia invincibilis per multum tempus*.

LVI. Vel etiam dici poteſt, S. Thomam velle, talem ignoran-

rantiam ex paſſione, vel habitu corrupto culpabilem quidem eſſe, nec a peccato excuſare eos, qui inchoaverunt, ſive fuerunt auctores pravarum perſuaſionum, & habituum corruptorum; in eis enim ignorantia invincibilis non fuit, in aliis tamen, qui eos ſubſecuti ſunt, & ſtante conſuetudine jam inducta exiſtimaverunt, tales actiones non eſſe malas, ignorantia potuit eſſe invincibilis, eoſque a peccato excuſare; maxime ſi præcepta negativa, puta non occidere, non furari, non mentiri aliqua veſtiantur, ſeu cohoneſtentur circumſtantia; ut furari ad dandam eleemoſynam, mentiri ad propriam, vel alienam vitam tuendam, occidere eum, qui morti proximus eſt, ne diutius agonizet.

LXII. Demum ſi etiam darem, S. Thomam voluiſſe, in nullo caſu dari ignorantiam invincibilem Juris naturalis, quod aſſerere videtur 1. 2. *quæſt.* 77. *art.* 7. *ad* 2. dicens: *Ignorantia particularis, quæ totaliter excuſat, eſt ignorantia circumſtantiæ, quam quidem quis ſcire non poteſt debita intelligentia adhibita: ſed paſſio cauſat ignorantiam Juris in particulari, dum impedit applicationem communis ſcientiæ ad particularem actum, quam quidem paſſionem ratio repellere poteſt.* Nihilominus ex hoc nihil pro ſe incraretur Janſenius. Nam ſequeretur ſolum, non dari ignorantiam Juris naturalis, quæ non eſſet vincibilis, & voluntaria voluntate propria perſonæ: ubi ipſe vult, ignorantiam Juris naturalis eſſe vincibilem, & culpabilem: quia etſi non voluntaria voluntate propria, eſt tamen voluntaria voluntate capitis.

QUÆSTIO II.

De voluntario libero.

QUIA voluntarium dividitur in neceſſarium, & liberum, & voluntarium liberum radix eſt, ac fundamentum moralitatis actuum humanorum, præmittendam exiſtimavimus hanc quæſtionem, ut eſſentiam, ac naturam libertatis declaremus, antequam de actibus humanis, eorumque moralitate ſermo inſtituatur.

DUBIUM I.

An homo conditus fuerit cum libertate: & an eam amiſerit per lapſum?

§. I.

Variæ libertatis acceptiones, & varii errores circa eam.

I. PRima, & generalis libertatis diviſio eſt in libertatem naturæ, gratiæ, & gloriæ. Hanc tradidit Sanctus Bernardus *lib. de Gratia & lib. arbitr. cap* 3. dicens: *Cum igitur ... triplex ſit nobis propoſita libertas, a peccato, a miſeria, a neceſſitate: hanc ultimo loco poſitam contulit nobis in conditione naturæ; in primam reſtauramur a gratia: media nobis reſervatur in Patria. Dicatur igitur prima libertas naturæ, ſecunda gratiæ, tertia vitæ, vel gloriæ. Primo nempe in liberam voluntatem, ac voluntariam libertatem conditi ſumus nobilis Deo creatura: ſecundo reformamur in innocentiam nova in Chriſto creatura: tertio ſublimamur in gloriam perfecta in ſpiritu creatura. Prima ergo libertas habet multum honoris, ſecunda plurimum etiam virtutis, noviſſima cumulum jucunditatis. Ex prima quippe præſtamus cæteris animantibus; in ſecunda carnem, per tertiam mortem ſubjicimus.* Ita, & quidem pulchre, Mellifluus Doctor.

II. Deinde libertas naturæ ſubdividitur in libertatem ſpontaneitatis, ſeu complacentiæ, & in libertatem indifferentiæ, ſeu contingentiæ. Prima dicit ſolam immunitatem a coactione, ſeu violentia: & quia, ut vidimus, voluntas a nullo in actibus a ſe elicitis violentari poteſt; ideo omnis actus elicitus a voluntate, etiam ſi ſit neceſſarius, liber hoc modo, ideſt ſpontaneus dici poteſt. Secunda nedum importat immunitatem a coactione, ſeu violentia, ſed etiam a neceſſitate abſoluta, ſeu determinatione ad unum per modum naturæ, & dicit potentiam, ſeu facultatem ad oppoſita, ſive contrarie, ſive contradictorie. Unde dividitur in libertatem contradictionis, ſeu exercitii; puta ad actum, & ceſſationem ab actu, ad agere, vel non agere, velle, vel non velle: & in libertatem contrarietatis, ſeu ſpecificationis, ad actus nempe contrarie oppoſitos: ut amorem, & odium, proſecutionem, & fugam.

III. Circa libertatem varii fuerunt errores. Primus Stoicorum, & Aſtrologorum voluntatem noſtram, ejuſque actus Fato ſubjicientium: nomine autem Fati intelligebant ſeriem, & ordinem, & influxum cauſarum naturalium, maxime Cælorum, & aſtrorum; ex quorum determinatione omnia neceſſitate evenire dicebant. Ut enim ex Ariſt. *lib.* 3. *de Anima* refert D. Th. *quæſt.* 6. *de Malo art. unico*, quorumdam eorum proloquium erat: *Talis eſt voluntas in hominibus, qualem inducit Pater virorum, Deorumque, ideſt Cælum, vel Sol.*

IV. Secundus fuit Manichæorum, qui libertatem evertentes, homines dicebant ad malum neceſſitari, non ex influxu ſyderum (ut Stoici) ſed ex natura mala ita ſecum animam bonam abripiente, ut eam nonniſi malum velle ſineret. De iis S. Auguſt. lib. 2. contra duas Epiſt. Pelagian. cap. 2. & l. 3. c. 9. *Nam autem* (inquit) *accipiunt, quod veritas dicit, a libero arbitrio exordium ſumpſiſſe peccatum, & ex illo eſſe omne vel Angeli, vel hominis malum; quia mali naturam ſemper malam, & Deo coæternam, nimis a Deo exorbitante, credere maluerunt.* Unde ait Hieronymus procemio Dialogi adverſus Pelagianos: *Manichæorum eſſe, hominum damnare naturam, & liberum auferre arbitrium, & adjutorium Dei tollere.*

V. Tertius eſt Calvini, qui *lib.* 1. *Inſtit. cap.* 15. §. 8. Eſto homini in ſtatu innocentiæ aſſerat liberum arbitrium; illud tamen peccato perdidiſſe contendit, ac delirare eos, qui in homine perdito arbitrium adhuc quærunt. Libro autem 2. *c.* 2. §. 5. diſtinguit triplicem libertatem, unam a neceſſitate, ſecundam a peccato, tertiam a miſeria: *quarum prima ſic homini naturaliter inhæreat, ut nequeat ullo modo eripi, duæ alteræ per peccatum ſint amiſſæ.* Sed revera nomine libertatis a neceſſitate non aliud intelligit, quam libertatem a coactione. Unde §. 7. ait: *Liberi ergo arbitrii hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni æque, ac mali electionem; ſed quia mala voluntate agit, non coactione.* Ad bonum autem faciendum, totum ita tribuit motioni, qua Deus ſicut ſeſſor equo, ita dominatur humanæ voluntati; ut in ea liberam eligendi poteſtatem, aut diſſentiendi nullam relinquat, ſed puram ſpontaneitatem, ac voluntarietatem a coactione immunem, non a neceſſitate. Cui errori, quem Lutherus etiam profitetur, occurrit Tridentinum *Seſſ.* 6. *Canone* 4. 5. & 6.

VI. Quartus error fuit Pelagii, qui liberum hominis arbitrium adeo extulit; ut dixerit, ſibi ſufficere abſque gratiæ dono ad omnia bona opera, etiam ad ſalutem conducentia. De quo S. Auguſt. lib. de Hæreſ. cap. 87. *Illam vero* (inquit) *gratiam Dei, ſine qua nihil boni poſſumus facere, non eſſe dicunt niſi in libero arbitrio, quod nullis ſuis præcedentibus meritis accepit natura noſtra; ad hoc tantum adjuvante per ſuam legem atque doctrinam, ut diſcamus quæ facere, & quæ ſperare debeamus; non autem ad hoc per donum ſpiritus ſui, ut quæ didicerimus eſſe facienda faciamus.* Hæc S. Auguſt. qui multis præclare editis libris uſque ad finem vitæ ſuæ hæreſim hanc invaſit, ac proſtravit.

Qua igitur, ut catholice procedamus, via nobis incedendum ſit; & qua libertate voluntas noſtra ornanda ſit, ſequentibus aperiemus.

§. II.

Libertas hominis in ſtatu innocentiæ.

VII. DIco primo. Homo in ſtatu innocentiæ perfecta gaudebat libertate arbitrii, & indifferentiæ. Convenit in hoc Calvinus citato loco. Probatur primo ex illo Geneſ. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: & præſit piſcibus maris &c.* quæ referunt Patres ad libertatem dominii, & indifferentiæ qua homo ad imaginem Dei conditus fuit. Irenæus lib. 4. cap. olim 9. *Homo vero* (inquit) *rationabilis, & ſecundum hoc ſimilis Deo, liber in arbitrio factus, & ſuæ poteſtatis.* Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 5. *Liberum, & ſui arbitrii, & ſuæ poteſtatis invenio hominem a Deo inſtitutum; nullam magis imaginem, & ſimilitudinem Deo in illo animadvertens, quam ejuſmodi ſtatus formam.* Et cap. 6. *Tota ergo libertas arbitrii in utramque partem conceſſa eſt illi; ut ſui dominus conſtanter occurreret, & bono ſponte ſervando, & malo ſponte vitando.*

VIII. Hanc veritatem fuſe ſtatuit Bernardus *lib. de Gratia & lib. arb. c.* 7. homini in paradiſo trinam aſſerens libertatem, nimirum *Arbitrii, Conſilii, Complaciti, ſeu a neceſſitate, a peccato, a miſeria.* Quod probat quoque celebre Eccleſiaſtici dictum c. 15. v. 14. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui.* Super quæ D. Thom. quæſt. 3. de Potentia art. 7. ad 12. *Deus* (inquit) *non dicitur hominem dereliquiſſe in manu conſilii ſui, quin in voluntate operetur. Sed quia voluntati hominis dedit dominium ſui actus, ut non eſſet obligata ad alteram partem contradictionis. Quod quidem dominium natura non dedit; cum per ſuam formam ſit determinata ad unum.*

IX. Multis rationibus hanc veritatem probat S. Thom. variis in locis; præcipue 1. *part. quæſt.* 83. *art.* 1. *quæſt.* 22. *de Verit. art.* 6. & *quæſt.* 23. *art.* 4. Placet unicam proferre, quam tradit 2. *Contra Gent. cap.* 48. ſub hac forma. Homo conditus eſt in natura intellectuali; ergo cum libertate indifferentiæ. Conſ. prob. Natura intellectualis habet judicium de agendis non determinatum ad unum, ſed indifferens: atqui natura habens judicium indifferens, eſt etiam radix inclinationis indifferentis, & non determinatæ ad unum; quia judicium intellectus per formam apprehenſam movet inclinationem, ſeu voluntatem; movens autem, & motum oportet eſſe proportionata; ergo voluntas, quæ eſt inclinatio naturæ intellectualis, non erit determinata a natura, niſi ad bonum commune. *Quidquid igitur offertur ſibi ſub ratione boni, poterit voluntas inclinari in illud, nulla determinatione naturali in contrarium prohibente. Omnia igitur intellectualia liberam voluntatem habent ex judicio intellectus venientem, quod eſt liberum arbitrium habere: quod definitur, liberum de ratione judicium.*

X. Confirmatur ex eodem S. Th. ibi: *Judicii libertate carent aliqua vel propter hoc, quod nullum habent judicium, ſicut quæ cognitione carent, ut lapides, & plantæ: vel quia habent judicium a natura determinatum ad unum, ut irrationalia animalia, naturali enim æſtimatione judicat ovis lupum ſibi nocivum, & ex hoc judicio fugit ipſum, ſimiliter autem in aliis. Quæcumque igitur habent judicium de agendis non determinatum ad unum a natura, neceſſe eſt liberi arbitrii eſſe. Hujuſmodi autem ſunt omnia intellectualia.* Qui diſcurſus D. Th. probat, etiam indifferentiam judicii eſſe radicem libertatis, ut infra dicemus.

§. III.

§. III.

Libertas hominis in ſtatu Naturæ lapſæ.

XI. DIco ſecundo. Etiam in ſtatu naturæ lapſæ gaudet homo libertate indifferentiæ, ſeu a neceſſitate. Hæc concluſio eſt de fide contra Lutheranos, & Calviniſtas. De qua cum locuti fuerimus ſuperius in 1. *part.* agentes de effectibus peccati originalis; ideo hic breviores erimus.

XII. Definita primo fuit hæc veritas contra Lutherum in Concilio Provinciali Senonenſi Pariſiis coacto an. 1528. ubi in Decretis fidei *cap.* 15. & damnans Pelagium, quod libero arbitrio nimium tribuerit, & VVicleffum, ac Lutherum, quod liberum arbitrium prorſus ſuſtulerunt; aſſerens, quod hinc *nihil reliquum erit tum divinis legibus, tum humanis, nullus conſiliis, aut electioni, nullus precibus, aut objurgationi, cæteriſque id genus, locus:* nulla denique juſtitia futura, qua quibuſdam conſtituta ſunt præmia, quibuſdam ſupplicia; proſequitur: *Prodierat hic error primum apud Gentiles, ſed ſummo omnium conſenſu mox expulſus eſt: adeo liberum eſſe arbitrium, vel ut evidenti quodam experimento cognitum, omnium mentibus ſeſe inculcat.*

XIII. Inde ad S. Scripturæ teſtimonia ſeſe convertens: *Cum igitur* (inquit) *reliquerit Deus hominem in manu conſilii ſui, appoſueritque coram eo ignem, & aquam, bonum, & malum, ad quodcumque voluerit porrigat manum ſuam: nec abs re beatus ille dicatur, qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; facere mala, & non fecit: quod ſub eo ſit appetitus ejus, & dominetur illius, ac denique percurrenti Sacram Scripturam paſſim obvium ſit, quod liberum in utramvis partem hominis arbitrium aſſeveret; ſatis eſſe Sacro Provinciali Concilio libertatis hujuſmodi vires, & metas exponere* Quibus de libertate indifferentiæ Concilium loqui, perſpicuum eſt. Quæ certe non de primo homine tantum, ſed de homine in præſenti ſtatu intelligenda eſſe; abſque præjudicio conſideranti apparebit. Nam homo in præſenti ſtatu capax eſt legis divinæ, & humanæ, capax conſilii, & electionis, laudis, & objurgationis, capax precum, & pœnæ, ac præmii: quæ omnia locum non haberent, ſi libero arbitrio, & poteſtate agendi, vel non agendi prorſus ſpoliatus remanſiſſet, & quidquid agit, neceſſitate ageret. Rurſus in Scriptura ſermo eſt de eo, *qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus*; quæ certe de primo homine intelligi nequeunt, hic enim fuit tranſgreſſus. Verba item *ſub te erit appetitus, & tu dominaberis illius*, dicta fuerunt homini lapſo, nempe Cain.

XIV. Mitto Patrum Teſtimonia, quæ apud Doctores Catholicos poterit Studioſus percurrere: ut Baſilii in *Pſ.* 61. comparantis voluntatis indifferentiam libræ, ſeu ſtateræ: *Cuilibet noſtrum intus ſtatera quædam eſt a Conditore omnium apparata, per quam rerum naturas poſſit appendere, bonumque a malo diſcernere.* Quam ſimilitudinem olim cogitaverat Tertullianus *lib.* 2. *contra Marcionem cap.* 6. dum ait, quod *de inſtitutione adſcripta illi* (homini) *quaſi libripens emancipati a Deo boni libertas, & poteſtas arbitrii.* Ne autem dicatur, hanc amiſſam fuiſſe per peccatum; loquens de homine poſt ruinam, addit cap. 8. *Atque adeo eumdem hominem, eamdem ſubſtantiam animæ, eumdem Adæ ſtatum, eadem arbitrii libertas, & poteſtas, victorem efficit hodie de eodem Diabolo, cum ſecundum obſequium legum ejus adminiſtratur.*

XV. Siſto ergo in Auguſtino, quo hæretici, & maxime Calvinus citatis locis abutitur. Is enim, ubi Manichæis oſtendit *lib.* 3. *de Lib. arb. cap.* 1. quod ſi voluntas a Deo ad creaturas convertitur motu naturali, non libero, non erit culpanda: *neque ulla culpa deprehendi poteſt, ubi natura, neceſſitaſque dominatur*; poſt multa ait: *Motus autem, quo huc, aut illuc voluntas convertitur, niſi eſſet voluntarius, atque in noſtra poſitus poteſtate; neque laudandus, cum ad ſuperiora, neque culpandus homo eſſet, cum ad inferiora detorquet, quaſi quemdam cardinem voluntatis: neque omnino monendus eſſet, ut iſtis neglectis, æterna vellet adipiſci, atque ut male nollet vivere, vellet autem bene.* Ne autem quis opponat, hæc ſcripſiſſe Auguſtinus, antequam hæreſis Pelagiana oriretur, qua exorta aliter ſenſit; adeat ipſum *lib.* 1. *Retr. cap.* 9. ubi expendens ea, quæ laudato 3. *libro de Lib. arbitr.* ſcripſerat, ea approbavit dicens: *Ecce tam longe antequam Pelagiana hæreſis extitiſſet ſic diſputavimus, velut jam contra illos diſputaremus. Cum enim omnia bona dicerentur ex Deo, ideſt, & magna, & media, & minima: in mediis quidem bonis invenitur liberum voluntatis arbitrium, quia & male illo uti poſſumus; ſed tamen tale eſt, ut ſine illo recte vivere nequeamus: bonus autem uſus ejus jam virtus eſt, quæ in magnis reperitur bonis, quibus male uti nullus poteſt.* Quibus oſtendit S. D. in parvis, & magnis bonis liberum arbitrium adhuc ſubſiſtere; ita tamen, ut ſine Deo bene uti nemo poſſit.

Sanctus item Hieronymus *lib.* 3. *Dialogi* adverſus Pelagianos reſpondens Pelagiano: *Hoc eſt* (inquit) *quod tibi in principio dixeram, in noſtra eſſe poſitum poteſtate vel peccare, vel non peccare: & vel ad bonum, vel ad malum extendere manum, ut liberum ſervetur arbitrium: ſed hoc pro modo, & tempore, & conditione fragilitatis humanæ.*

XVI. Libertatem arbitrii remanere poſt peccatum, oſtendit S. Bernardus *lib. de Gratia, & Lib. arbitr. cap.* 8. Cum enim, ut ſupra diximus, triplicem diſtinxiſſet libertatem *Arbitrii, Conſilii*, & *Complaciti*; vel aliis nominibus *a neceſſitate, a peccato, a miſeria*: amiſiſſe quidem dicit hominem per peccatum libertatem conſilii, ſeu a peccato, & libertatem complaciti, ſeu a miſeria; libertatem tamen arbitrii ſeu a neceſſitate dicit remanſiſſe: *Manet ergo* (inquit) *etiam poſt peccatum liberum arbitrium? etſi miſerum, & tamen integrum. Et quod ſe per ſe homo non ſufficit excutere a peccato, ſive miſeria, non liberi arbitrii ſignat deſtructionem, ſed duarum reliquarum libertatum privationem.* Ex quibus ſic diſcurro. Liberum arbitrium, ſeu libertas indifferentiæ eſt proprietas naturæ intellectualis, quam cum natura accipit homo: ſed per peccatum ea, quæ naturæ ſunt propria, homo non amiſit; ergo homo per peccatum liberum arbitrium non amiſit.

§. IV.

Reſpondetur Calviniſtarum objectis.

XVII. PLura objicit Calvinus ex Auguſtino, quibus docere videtur, nos per peccatum Adami liberum arbitrium perdidiſſe; ut illud ex Epiſt. 107. modo 217. ad Vitalem cap. 4. *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*: Illud ex Enchirid. cap. 30. *Libero arbitrio male utens homo, & ſe perdidit, & ipſum*: & illud ex lib. de Perfectione juſtitiæ hominis cap. 4. *Victa enim vitio, in quod cecidit voluntate, caruit libertate natura.*

XVIII. Ad hæc, ſimilia jam reſpondimus agentes de effectibus peccati originalis. Modo dicimus, Divum Auguſtinum illis verbis ſolum velle, hominem per peccatum perdidiſſe libertatem, ſeu liberum arbitrium a peccato, & a miſeria, ut cum Sancto Bernardo nuper dicebamus; non vero liberum arbitrium a neceſſitate, ſeu naturalem libertatem, ut perperam contendit Calvinus: quamvis hæc ad bene agendum manſerit miſera, & indigens ope gratiæ, quam peccato Adami perdidimus: Unde aliud eſt, liberum arbitrium ad bonum ex integro periiſſe; aliud eſt, liberum arbitrium ad bonum evaſiſſe languidum, & infirmum, & egere gratia Dei ſanante ipſum. Hoc ſecundum fatemur cum Auguſtino. Primum negamus cum ipſo *lib.* 1. *contra duas Epiſt. Pelagian. cap.* 2. ubi ait: *Quis autem noſtrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, ſed illa, quæ in Paradiſo fuit habendi plenam cum immortalitate juſtitiam: propter quod natura humana divina indiget gratia.* Quaſi dicat liberum arbitrium abſolute non periit, ſed periit illud, quale fuit in Paradiſo. Ubi enim tunc immortalitate ac plena juſtitia donatum poterat ad bonum; nunc peccato ſauciatum, ad bonum non poteſt, niſi a gratia Dei accipiat poſſe, & reſtituatur libertati: unde utitur Chriſti ſententia Joann. 8. verſ. 36. *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.* Ita enim loquebatur Auguſtinus, non quod exiſtimaret, liberum arbitrium poſt peccatum nonniſi ad peccandum valere: ſed quod ad bene operandum, ut oportet ad ſalutem, ideſt ad credendum, ſperandum, diligendum Deum egeret gratia Salvatoris, quam Pelagiani negabant. Hoc eodem modo exponendus eſt Sanctus Doctor *lib.* 2. *contra Epiſt. Pelag. cap.* 5. ubi eadem repetit.

XIX. Pro mente Sancti Auguſtini aſſequenda obſervandum judico, vocem liberi arbitrii aliquando ab eo uſurpari pro naturali facultate eligendi utrumlibet poſitis omnibus requiſitis; aliquando pro eadem facultate, ut expedita, inſtructa nempe omnibus iiſdem requiſitis, maxime ad agendum bonum, ut oportet ad ſalutem. Priori modo liberum arbitrium uſurpat, cum agit contra Manichæos, qui naturalem illam facultatem negabant; hominemque naturali neceſſitati bonæ, vel malæ naturæ ſubjiciebant in agendo bene, vel male. Poſteriori vero illud accipit, dum agit contra Pelagianos. Cum enim ipſi dicerent, liberum arbitrium per ſua naturalia eſſe ſufficienter inſtructum ad agendum bonum, etiam ut oportet, nec agere auxilio gratiæ dantis poſſe; Sanctus Doctor hoc negat dicens, per peccatum, hoc, ideſt liberum arbitrium ſufficienter expeditum, & inſtructum, peccati granditate perdidiſſe; illud ſcilicet, quod in Adamo erat ante peccatum; quod eſt, perdidiſſe libertatem non naturæ, ſed gratiæ, neque hanc recuperare poſſe niſi per Chriſtum.

XX. Hinc dum *lib. de Perfect. juſtit. cap.* 5. ait: quia peccavit voluntas, ſecuta eſt peccatum peccandi dura neceſſitas; exponendus eſt de neceſſitate non phyſica, ſed morali, & de neceſſitate quadam vage, indeterminate, & pro omni tempore: quia licet homo lapſus poſſit ſingula vitare peccata, non tamen omnia collective. Unde D. Thom. *quæſt.* 24. de Verit. art. 12. ad 7. *Peccata* (inquit) *dicuntur neceſſaria, in quantum non poſſunt vitari omnia, quamvis poſſunt vitari ſingula*: Vel de neceſſitate ad peccandum aliquo modo, ſicut pro aliquo tempore poſſumus jejunare, non tamen pro ſemper: *Nec quia ad breve poſſum, coges me, ut poſſim jugiter; poſſum jejunare, vigilare, ambulare, legere, pſallere, ſedere, dormire; numquid in perpetuum?* Ita Pelagiano reſpondebat S. Hieronymus *lib.* 3. *Dialogi adverſus Pelagianos.* Vel de neceſſitate peccandi, ſi deſit gratia Dei. Quare *lib. de Natura, & gratia cap.* 59. Pelagio dicenti non eſſe impoſſibile ſine peccato eſſe, quia omnes vel multi volunt, reſpondet Sanctus Auguſtinus: *Sed hoc unde ſit poſſibile confiteatur, & pax eſt. Ipſa enim gratia Dei per Jeſum Chriſtum; qua omnino iſte nos orantes adjuvari, ut non peccemus, nuſquam diceret.* Et cap. 64. eidem dicenti: *Quia libertatam arbitrii ſui permiſit Deus hominibus, ut pure, & ſine peccato viventes ſimiles ſint Deo*; non ait, libertatem arbitrii extinctam fuiſſe per peccatum, & factam neceſſitatem: *Sed* (inquit) *ad ipſum arbitrium pertineat vocantem audire, & credere, & ab eo, in quem credit, non peccandi adjutorium poſtulare.*

XXI. Objiciunt rurſus, S. Auguſtinum Libris *Operis imperf. Contra Julianum*, & alibi bifronem indifferentiæ poteſtatem,

quam